I. BAPT: DE LAMZWEERDE
Prof. Med: et Doct: Colon:

NATURALIS MOLARUM UTERI HISTORIA.

Lugduni Batavorum
Apud PETRUM vander Aa. MDCLXXXVI.

f
r

Liber Acad. Marisch.
ex dono Cornelis de Bale h. 7. 26

HISTORIA NATURALIS MOLARUM UTERI,

IN QUA

De Natura Seminis, ejusque circulari in sanguinem regressu, accuratius disquiritur.

AUCTORE

JOH. BAPT. *de* LAMZWEERDE,
Phil. & Med. Doct. Colonienſi, ejuſdemque facultatis in celeberrima Ubiorum Univerſitate Profeſſore publico.

LONDINI:
Apud *Abel Swalle* ad inſigne Monocerotis in Cœmeterio D. *Pauli.* 1687.

Excellentiſſimis, Perilluſtribus ac gratioſis Dominis

D. van BREYBAGH,

&c.

D. HUGENPOOT

DOMINO DE ET IN HUGENPOOT, CONSILIO STATUS DUCATUUM JULIÆ & MONTIUM ASSESSORI, OEHEMIARCHÆ, & IN GEILENTHIRCHEN & MONHEIM SATRAPÆ.

D. ANETHAN,

J. U. D.

D. ESCH,

SERENISSIMI DUCIS NEOBURGICI, JULIÆ, CLIVIÆ & MONTIUM CONSILIARIO, AULICI JUDICII ASSESSORI.

D. H. HERMAN, J. V D.

Ejuſdem DUCIS CONSILIARIO ARCHINARCHÆ & PROTONOTARIO.

Ex parte Sereniſſimi Electoris Trevirenſis, & Sereniſſimi Principis electoris Palatini Cæſareæ commiſſionis in cauſis liberæ Imperialis Colonienſis Subdelegatis.

Excellentiſſimi ac Gratioſi Domini,

AUdet opella hæc ſuſtinere Majeſtatem *Excellentiarum Veſtrarum*,

& lucem ab eminenti Dignitatum veſtrarum ſplendore mutuari, quam nec ab ingenii noſtri face, nec à tenui materia ſuſceperat, quæ prima licet fronte illuſtribus *Excellent. Veſtrarum* oculis non condigna videatur, in ipſo tamen ſubſtantiæ examine ſacro *Excellent. veſtrarum* faſtigio non indecora deprehendetur: nam recte Barbarorum Philoſophus Abdalas ſaracenus importune rogatus, ut denuntiaret, quid in hac Rerum natura maxime admirabile judicaret, non barbare, ſed ſcienter & pro magni Philoſophi ſapientia & gravitate fertur reſpondiſſe, hominem unum eſſe, qui omnem admirationem ſuperaret, & conſequenter omnia Naturæ humanæ phænomena, ac imprimis primitiva Microcoſmicæ geneſeos exordia; Quapropter ad coruſcum ſacri luminis *Excellent. Veſtrorum* jubar oculos aperire, & *Sacram Cæſaream Majeſtatem* in Perſonis veſtris in hac tenui & tenera materia publice venerari minus erubeſcimus, quia Plinianum illud elogium omnibus innoteſcit, quo Dei & Naturæ artificium in architectandis minimis animalium moleculis

culis celebratur nam etiam in minimis teste Archiphiloſopho quædam deliteſcit divinitas; eo ergo audacius ad ſalutarem *Excellent. Veſtrarum* umbram confugimus, quia ſacra Pontificiarum legum Majeſtas & Cæſarearum auctoritas in multis caſibus ſeſe ultro Medicorum judicio ſubmittit, quapropter nos intricatas has, & per multa ſæcula exagitatas de virgineo molarum conceptu, & ſagarum cum diabolo congreſſu, earumque ex eo impletione quæſtiones ad ima reſecare, & monſtra majora veris explodere conati ſumus, eaſque deciſſe confidimus, ut judici tam in toro-poli, quam in toro fori conſtet, quid in tali caſu, cum ad tribunal defertur judicandum ſit; verum cum in rebus phyſicis ſummus ſapientiæ nervus ſit; nil temere credere, à communi Auctorum ſententia paululum receſſimus, & geminum Antiquorum Patrum de diaboli poteſtate ſenſum interpretati ſumus, nam non quæ mala conſuetudine receptiſſima, ſed quæ veriſſima docenda ſunt, quia in gratiam Dei vel Eccleſiæ non

mentiendum esse cum toto Christianismo profitemur; non enim vult Deus, nos stultos esse, ut cum apparenti rationis specie assuescamus talibus argutiis, quæ Rationem, & cum ipsa Dei veri idæam in nobis destruunt, verum quia veritas odium parit, adversus cæcam malignantium invidiam patrocinantem dexteram imploramus, & nostrum ingenii fœtum ad benignos *Excellent: vestrarum* pedes deponimus, non quod imaginemur, nos ea præstitisse, quæ sacro *Excellent: vestrarum* fastigio digna sunt, sed quæ æstimarimus ad publicam utilitatem conferre, & discordes literatorum animos in unam pacis viam reducere, feliciter an infeliciter? *Vestrarum Excellent.* sane discemus judicio, nam me hominem cum lubens agnoscamus, nec proprii judicii mancipium esse velimus, æquo ac gratulabundo animo correctionem admittemus; nam præcipua eruditio teste Plinio est, *discere velle.* Vestro, inquam, judicio, quod summum & tanquam unum instar omnium venerabimur, sive enim vestram spectemus digni-

dignitatem, reſpexit bonorum vota Deus, & vos felici è reliquis ſorte electos præeſſe voluit, quorum virtute, prudentia, integritate in hoc ſplendidiſſimo inter reliquas totius Imperii Romani civitates ornamento virium dejecti erigerentur animi; metum ſpes, motum quies, vulnera medela tolleret, triſtemque Reipublicæ faciem ad ſerenitatem melioris anni vices revocarent, ſive illuſtria familiarum veſtrarum gentilitia, ubique ſplendor, ſive doctrinam ſive virtutem, ubique decus, & quaſi lumen è ſublimi ad literatos omnes deſcendens, quo cum irradiabimur, tenebras noſtras diſcutiemus, ſine errore intellecturi, an laudem an labem mereamur; hanc igitur devoti animi ſtrenam ſub *Veſtrarum Excellent.* auſpiciis cœptam, ea animi benignitate amplectimini, quo in ſacras *Excellent. Veſtrarum* dignitates affectu, quave obſervantia à me profecta ſunt, nam olim nec etiamnum inſueta ſunt chartacea donaria, nec inſipida Magnatibus gratitudinis & obſervantiæ ſpiracula, neque me ſexcenti Synetæ vicerit, erit, quod

mihi magnopere gratuler, si non indignus, qui à te audiar, judicer, si inspexeritis, magnum erit, ipse magnus, si vestra fruar benevolentia ac favore, maximumque totius anteactæ vitæ fructum nos consecutos esse existimabimus; vestro enim erecti patrocinio ulteriora alacrius prosequemur. Valete & benevolentiæ gremio complectimini, affectum, cultum, obsequium admittite ab eo, qui nihil desiderat, quam esse

Vestrarum Excellentiarum

E Musæo
1 April
1686.

Humillimus cliens

JOH. BAPT. de LAMZWEERDE

PRÆFATIO.

BENEVOLE LECTOR,

ADmirabile illud & maxime imitabile bonum, quo Socrates se prædicat vivere, οὐκ αἰσχύνομαι μαθὼν, non pudet me discere, *omnes ingenuos in sui admirationem & amorem rapit, ars enim in arte nostra longa est, & vita brevis, nam tanta est rerum obscuritas, ut si teste Galeno triplum, addo, vel centuplum nostra prorogaretur vita, ne tunc quidem dici posset, unum hominem exacte omnia scire; non enim subito, sed per longos & arduos quidem gradus pervenitur ad Deam illam, quæ temporis filia dicitur? quod maxime locum habet in illis materiis, quarum veritas debet ab imbecilli credularum faminarum judicio, ut hæc est, quam Medicorum plerique hactenus tantum obiter attigerunt, forte ne se radicatis male loquentium mulierum in hac materia præjudiciis opponerent; & Theologi prorsus intactam reliquerunt, ne castas forte aures offenderent; protestamur etiam nos malle ignorare, quæ civilis verecundia taceri, aut non indagari permittit, attamen, quia veritatis, Sacramentum diximus, pudor sit illam deserere, aut tacendo eam difficultatibus involvere, ubi necessitas exigit; quia hæc materia tot frivolis ineptiis, & superstitiosis scatet nugis, quibus callidæ mulierculæ cordatis imponunt viris, eam casto calamo aggressi sumus, ut veritati litemus, quæ Molarum tam confusa & intricata apud Auctores traditur, ut cauto opus sit, ne nos in servitium demus, unde exire non liceat, facile enim dictu est,* Antiqua & recepta hæc sunt, *at non tam facile scitu est,* verane sint. *Prudentia hæc contigit iis, quibus bonus à Natura contigit animus, qui continuo ad seriam præjudiciisque carentem meditationem excitimulatur, oriturque ex claris & rectis principiis, ac evidentioribus experientiis, à quibus tanquam à carceribus ad metam veritatis pergimus, ut veritati suæ constet Majestas,*

&

& auctoribus reverentia, illos, ubi potuit, reconciliavimus, eorumque tanquam veterum ſapientiæ Antiſtitum dicta nova illuſtratione, noviſque obſervationibus confirmata dedimus, ut etiam in noſtra utriuſque Philoſophiæ clavi animorum certantium fervorem ad defervescentiam reducere tentavimus, ubi vero veritas naufragium facit, a communi ſententia receſſimus, Καλὸς Θεόκριτος, ἀλλ' οὐ μόνος ἀνθρώπων ὁρᾷ. *Pulcher quidem Theocritus, verum non ſolus inter homines ſapit, ac illum magni nominis Romanum Medicum* Paulum Zachiam *preſſimus, qui* lib. VII. tit. I. quæſt. VII. *de Monſtris ingenue & candide fatetur, ſe cum univerſo grege erraſſe his verbis.* Ego quidem (licet lib. 3. harum quæſtionum tit. 1 quæſt. 8. num. 5. & 19. ex communi opinione contrarium ſenſerim) niſi Sancta Mater Eccleſia doceat, non dari talem conceptionem aut partum de facto exiſtimaverim, immo dixerim, in via Naturæ eſſe impoſſibilem. *Ita & nos non modo fraudulentis fœminarum nugis, & ſuperſtitioſis obſtetricantium experimentis, ſed etiam argutis Philoſophantium ratiocinationibus ac Theologorum auctoritatibus oppoſuimus, & diximus, quod res eſt, juxta Sophoclem:*

Οὐ σοὶ γε Ἰατροῦ σοφοῦ
Θρῆνοι ἐπῳδαὶ στομίοις πήμασιν,

Non eſt Medici ſapientis
Uti cantionibus in ulcere, quod ferrum deſiderat. *Et Iſocratis monita ſecuti fuimus, cujus ſenſum eleganter exprimit Virgilius Dioſcoridis Commentator, cum docet* artes & ſcientias, lunæ adinſtar quotidianis acceſſionibus fieri majores. Quamobrem nullibi minus Vetuſtatis Majorumque Famæ rationem eſſe habendam; ſecus ſi fiat, periturum id, quo uno hactenus ſteterunt, futurum etiam hominem, nil aliud agere oportere, quam otioſum majores audire, nec quaſi Duces ſed Dominos ſequi, auctoritati omnia tribuentem, & ex Commentariis tantum ſapientem tanquam nihil interſit inter hominem

minem & librum. *Nec proprio cerebro tantum tribuendum est, ut ex uno experimento totam medicinæ machinam subvertere conemur, ut multi practici faciunt, qui acido & alkali adeo immersi sunt, ut præ nimia acidorum astringendi virtute oculos mentis aperire non possunt, imo, licet quidam meliora videant, nolunt: acsi nulli morbi ex alia causa quam ex acido & alkali oriri possent, quæ erroris pertinacia satis ostendit, illos nescire, in quo consistat acidorum aciditas, nam illa in natura sanguinis vel humorum non datur, quia ille solummodo est species saporis, qui est sensatio à motu talium corpusculorum linguæ nervis impressa; quapropter pro ægrotantium commodo præstaret, naturam istorum acidorum non sensu sed ratione inquirere, parum solliciti, quibus nominibus illa baptizentur, modo sit convenientia in ipsa acidorum substantia eorumque forma essentiali. ut morborum causas à priori & non à posteriori demonstremus; nam magna est differentia inter fermentationes & effervescentias, quæ permixtione acidi cum alkali Chymia docet, & illas, quæ in Oeconomia animalium perficiuntur; sed media via procedendum esse autumamus; inventa non evertendo sed perficiendo: hinc etiam quædam nova de seminis natura, & circulari ejus in sanguinem regressu tam veterum quam Recentiorum principiis confirmata admiscuimus, quo eventu, dies docebit: Sufficit mihi cum admirabili Lipsio si nihil aliud certe hoc commune esse*, etiam in minimis vera scire velle. *Attamen in illis plura agnoscimus, quam sensus determinat, nam etiam visus, etiam microscopio armatus, fallit; adeoque non condescendimus cum istis, quorum curiosa cæcitas rerum substantias adeo penetravit, ut in vino serpentes, quò meliori, eò plures videant, quorum impia experientia in fœcundo humano semine caput ursi describit, aliaque absurda vitreis intuentur oculis, quæ tanta animi contentione tuentur adeo pertinaciter, ut si non amplectaris, Jovi Cælum eripere videaris, ubi minimarum particularum figuræ magis ratione quam*

sensu

ſenſu determinandæ ſunt, verum in illa materia non plus ſapiendum, quam à Deo datum eſt, nam hæc vox naturæ, quod intellectus finitus infinitas infiniti entis potentias capere nequeat, ultra quam regulam qui ſapere volet, præſtaret mutum eſſe.

ELENCHUS CAPITUM.

Caput I. *In quo definitiones molarum Hippocratis, Galeni, Avicennæ, Ariſtotelis, Auctuarii, Pauli Æginetæ, Fernelii examinantur, & tam diverſarum ſententiarum ratio datur, veraque molæ definitio datur.*

II. *In quo communes Auctorum diviſiones examinantur, melioresque ſubſtituuntur, & duæ molæ nutritionis hiſtoriæque rariores cum figuris adduntur; & opiniones medicorum* Imperatricis Annæ *ſemper Auguſtæ de motu in utero cadaveris inventis examinantur.*

III. *De ſemine in genere agitur, ejuſque eſſentia in abſtracto conſideratur.*

IV. *In quo phyſica ſeminis ſubſtantia explicatur, omnium que Veterum ac Recentiorum opiniones ad concordiam rediguntur.*

V. *In quo de ſemine humano, & ſententiæ auctorum, è quibus partibus humani corporis decidat, examinantur.*

VI. *De ſemine maſculino, in quo ejus activitas & fœcunditas explicantur.*

VII. *De ſemine fœminino, quid ad conceptionem conferat.*

VIII. *In quo de oris humanis tractatur.*

IX. *De circulari ſeminis in ſanguinem regreſſu agitur, ejusque neceſſitas in generationis actu demonſtratur, & juxta principia tam Veterum quam Recentiorum explicatur.*

X. *In quo materiales molarum cauſæ explicantur.*

XI. *In quo cauſæ efficientes traduntur.*

XII. *In quo cauſæ procatarcticæ & antecedentes enumerantur.*

XIII. *In quo cauſæ continentes explicantur, & cauſa Hippocratis ad rectum ſenſum interpretatur.*

XIV. *In*

XIV. *In quo signa diagnostica & prognostica recensentur.*

XV. *In quo curatio præscribitur.*

XVI. *In quo de possibilitate Conceptus Molæ in virgineo sinu absque maris copula agitur, & post argumenta sententiæ affirmativæ examinata negativa evidenter concluditur.*

XVII. *In quo dictæ conceptionis possibilitas ab imaginatione traditur, & sententia parlementi Gratiano politani examinatur.*

XVIII *In quo dictæ conceptionis possibilitas ex simplici accubitu examinatur; variæque historiæ adduntur.*

XIX. *In quo dictæ conceptionis possibilitas ex Diabolo examinatur, deque scientia Diaboli in rebus Physicis agitur, ejusque imperitia auctoritate S. Scripturæ. S. Patrum, rationibusque evidentibus demonstratur.*

XX. *In quo causæ, quare bruta Molis minus obnoxia sunt, examinantur, & dissertatio de molis Harderi Naturæ Curiosorum collegii membri in Observatione* CLXXXV. *Decad. 2. anni secundi tradita expenditur.*

XXI. *In quo, an ex semine humano alia animalia & insecta in utero muliebri generari possunt agitur; variaque exempla & historiæ enarrantur, & Academia Naturæ Curiosorum nimiæ credulitatis convincitur.*

XXII. *In quo an ex semine masculino in brutæ alicujus femellæ uterum injecto, homo, vel simile animal, aut aliquod tertium generaretur disseritur, variaque exempla & considerationes adduntur.*

XXIII. *In quo, an ex semine brutorum in faminæ uterum ejaculato animal generari possit, inquiritur, diversæque historiæ & rationes adferuntur.*

XXIV. *In quo privilegia faminis molam gerentibus legum indulgentia concessa traduntur.*

XXV. *In quo judicia obstetricum & Chirurgorum de molaticis rejiciuntur.*

Ad Generis Nobilitate & Doctrinæ præstantia præclarum Virum.

D. JOANNEM BAPTISTAM de LAMZWEERDE, *Unicum Medicinæ Doctorem Colonien-*

sem

ſem in Univerſitate Ubiorum Creatum & Profeſſorem publicum declaratum, cùm doctam Molarum uteri naturalem Hiſtoriam Doctiorum publico examini ſubjiceret.

Dùm miranda doces, & nullo tradita ſæclo
Dùm pandis, tenebris enucleata ſuis.
Dùm ſimul Auctores ad pacis ducis Ovile
Chriſtigenæ rectum nomen habere doces.
Et cauſas reperire novas, calamoque ſuävi
Ut poſſis multos erudiiſſe ſenes.
Sic raptus ſit morte licet *Lamzweerdus*, in Artem
Quam colit, affectus non moriturus erit.

Amico veterano cecinit.

NICOLAUS Epiſcopus Titropolitanus.

AD EUNDEM.

Scriptor colende, Ubii Soli ſplendor
Non æmulande, cujus incubat pennis
Vocis latinæ curioſa Majeſtas:
Qui non recludis ſolum Naturæ & Artis
Veſtræ receſſus, Auctorumque Spineta;
Nodoſque tollis Gordios cothurnatus
De ſtirpis humanæ propagandæ modo,
Nec non inordinato amoris amplexu,
Et mille fæminarum technas revelas;
Facemque præfers Bartolo atque Baldo
Doctiſque præconibus Verbi Divini.
Sic perge famæ ſæculoque Belgarum
Debere nomen, haud tuis leves curæ
Inerrant chartis, ſed velut Jovi magno
Tonitru decorum eſt, fulminumque ſublimes
Per ſumma jactus, arduumque quodcunque eſt,
Incedis alte, verticique cæleſti
Excelſus hærens fæminarum perſtringis
Erroneos conceptus miroſque partus;
Quid ſubſit iſtis veri, quid detur falſi.
Te ſic loquente lætior fides quaſſat
Suas Apollo Medicorum Patronus.

Gratulabundus accinuit.

SIXTUS ANTONIUS MILSER, Ordinis Militaris Chriſti Eques.

HISTORIA NATURALIS DE MOLIS.

CAPUT I.

De varia Molæ apud auctores descriptione.

UT juxta Græcorum dictum homo homini Deus melius esse possit, prudens Antiquitas humana distinxit studia in tres facultates, quarum prima hominem in fidei & virtutum exercitio dirigit, altera Mortalium valetudinem, tertia bonorum possessionem moderatur, ut homo, magnum hoc Mundi Miraculum mente sanâ in sano gauderet corpore, ad hujus inæstimabilis thesauri comparationem multum conferunt prima vitæ nostræ stamina; unde optimô jure exclamare licet, gaudeant bene Nati, pro qua gratia gratis data nunquam sufficientibus; & Divinæ bonitati condignis litare possumus hostiis, quæ, ut & imperscrutabilis ejus potentia maxime relucent in sacro geneanthropiæ mysterio; ad quod juvenilia pectora potius petulcæ libidinis, oestro excæcata, quam novæ prolis desiderio rapta accedunt. Dum ergo hæc facultatum triga circa eundem hominem, diverso licet fine, versetur, nemo mirabitur, quod in unaquaque facultate den-

tur casus, quorum veritas petenda sit ex sociæ facultatis principiis, hinc lege quadam Reipublicæ literariæ sancitum est, quod unicuique in sua arte credendum sit, quia unius hominis industriam superat, & labores, innumerabiles vitæ humanæ casus exhaurire, nam verissime Sophocles in Antigone pronuntiat.

Nihil æque stupendum ac hominem.
Natura parens produxit unquam.

Verum enimvero, dum magnæ auctoritatis viri in eadem sæpe varient materia, multi hic surgunt scopuli, quos non modo superare, sed & aggredi hoc oculato sæculo arduum est, nihilominus *Aristotelis* dicto excitati, qui, cum *Isocratis* exemplo cæpisset aperire scholas, ἄϊσχιον, inquit, σιωπᾶν λαλοῦντ' Ισοκρατοῦς, nos fastidiosorum supercilium contemnimus, qui de alienis scriptis judicare solent, cum nihil in publicum edere valeant; nam optima quæque plerique aspernari solent, quam discere, & sæpissime reluctante animo lacerant publice, quæ intra domesticos lares cum laude & suffragiis legunt, nos inani horum spreto strepitu, nè velut pecora vitam transigamus silentio, hanc molarum historiam altius eruendi suscepimus provinciam, magni *Platonis* dicto animati, *semper inter sese eos consentire, qui aliquid sciunt, quoniam nil sciri potest, nisi quod verum est, nam in unaquaque re verum amplius uno esse non potest*, quia in hac materia dantur casus, quibus non bene discussis pietas & justitia naufragium fa-

ciunt

ciunt; quamvis Criticorum multi decernant, librorum multitudinem, etiam in artibus extra contemplationem finem ſuum habentibus, inutilem & mendoſam, in Medicina tamen utile hoc vitium, & non explodendum autumamus, quia quotidiana experimenta, & novæ peritiſſimorum obſervationes Exteris & Poſteritati non niſi per libros transmitti poſſunt, imo judicamus, medicos charitatis præcepto teneri, ut ipſam rationis vim, quæ nobis cum Diis communis ineſt, ſtudio veritatis exacuant in ſolatium proximorum miſerè decumbentium morborum furiis, quæ omnem vim medicam hactenus cognitam illudunt, ob cauſas male à Præceptoribus traditas, in quibus multorum Practicorum mens tam fixas aluit radices, ut ne Orpheus, qui integras etiam ſilvas ſuo fertur dimoviſſe loco, illos à ſua præoccupata opinione divelleret, imo ſæpius impediunt perſonatâ ſua gravitate, ne recenter inventa curandi methodus ſuſpirantibus adhibeatur, ut contingit in paralyticis, epilepticis, cancroſis, ſurdis, cæcis, molaticis &c. (quos herculeos morbos multo certius curandi methodum cum tempore conſecrabimus publico) quapropter ob horum ſomnolentiam in perſcrutandis convenientioribus mediis publicæ utilitati & officio noſtro deeſſe nolumus, ſed molarum tabulas in hoc tantæ auctoritatis virorum diſcrepantium naufragio diſperſas collegimus, ſpetantes nos certiores ex contrariantium ſententiis concluſiones tradituros quæ aſtræam in virgineo

deliteſcentem thalamo, è ſuis eruet tenebris, ut hæc Dea, rejectis obſtetricantium ineptiis, & muliercularum nugis, Judici tam in foro poli, quam in foro fori præluceat, in caſibus, quæ virginum & viduarum ſpectant caſtitatem, ne Diva Themis Theologos pariter ac Juridicos in tenerrimo virginei pudoris floſculo nimiæ credulitatis arguat, dum hi, certantibus Æſculapii filiis, virgines, vel viduas, quæ molas geſtare, vel excluſiſſe feruntur, corruptæ pudicitiæ reas, vel criminis inſontes pronuntiant.

Quamvis Divinus *Plato* aſſerat, mortales ſapientia ac doctrina abundantiores ad ſenectutem pervenire, qui neglectis nominibus ſeſe rebus eſſentialibus addicunt, attamen occupatio circa nomina nobis invitis ſæpe eſt neceſſaria, nam qui nominum ignorant vires, ſe ipſos & alios quandoque fallunt, quia verba congrua uſuque recepta ſubſtantias docendi & diſcernendi inſtrumenta ſunt, quæ obſervatio in hac materia maximi ponderis eſt, quia per malam vocis molæ interpretationem honeſtiſſima virgo indelebili ignominiæ macula inuri, & ſordidiſſima meretrix ab illicito concubitu abſolvi poterit, nam de nulla re incorruptè judicari poteſt, niſi controverſiæ ſtatus terminorum evidentia illuſtretur, hinc accuratius examen in nomen molæ inſtituendum erit; nam circa iſta, quæ in rerum ſcala, & naturæ ordine recte ſunt poſita, in condendis nominibus maxime ſtuduiſſe decet, quapropter ipſos textus ex medicinæ fontibus

tibus enarrabimus, ut Lectori conſtet, non quomodo vox molæ à primæva ſignificatione detorqueri poſſit, ſed quid nomine *molæ* intelligendum ſit, de cujus conceptione & generatione in virgineo ſinu tanta philoſophantium pariter ac Medicorum diſcrepantium diſcordia eſt.

Hipp: lib: 1. de morb: mul: §. 97. & lib. de ſteril: §. 2. ita deſcribit molam. Cæterum molæ conceptus hæc eſt cauſa. *Quum multi menſes, & modicum ſemen, & morboſum complexi ſunt, neque conceptus rectus ſit; & venter plenus eſt, velut prægnantis, nihil autem in ventre movetur, neque lac in mammis generatur, mammæ autem turgidæ ſunt.*

Galenus lib. 14. de uſu part: *Verum in greſsilibus quidem animalibus quid reperias, quod ovo proportione reſpondet, niſi quem Medici appellant molæ conceptum, qui ſane caro quædam eſt inutilis ac informis. Si igitur eo uſque ſemen fœminæ progredi voluit, primum quidem, quam parum artificioſam actionem ei tribuunt, quæ utique vel ſoli menſtruo adſuerit, nemo eſt, qui ignorat. Secundo autem mentiuntur etiam in his, quæ accidunt, explorandis, non enim ſicut gallinæ ſine maribus ova pariunt, ita mulierem aliquando viderunt, ſine viro molam, vel ejuſmodi quidpiam aliud concepiſſe. Satius igitur eſt; maris ſemen motionis principium ſupponere, fœminæ vero ad generationem animalis exiſtimare ipſi aliquid conferre.*

Avicenn. lib. 3. Fen. xxi. tract. 1. *Quando-*

que accidunt mulieri dispositiones similes dispositionibus prægnantium ex retentione menstruorum, & alteratione coloris, & casu appetitus, & adunatione oris matricis, & quandoque est cum hoc durities quædam, & quandoque est aliquid duritiei in matrice tota, & accidit inflatio mammarum, & repletio illarum, & quandoque accidit earum apostematio, & sentit in ventre suo motum, qui est sicut motus embryonis, quod permutatur dextra & sinistra, & quandoque ei accidit sicut hydropisis, & inflatio ventris, sed tendit ad duritiem, non ad tympanitidem sonantem sono tympani, & quandoque accidit dolor pariendi, & angustia, & cum hoc non parit; imo quandoque causa in eo est tensio, & inflatio in venis menstrui, quare non deponit aliquid, & quandoque deponit frustum carnis, cujus est forma quædam, cujus species non comprehenditur, & quandoque est illud, quod egreditur tantum ventositas, & quandoque sunt superfluitates aggregatæ, quare egrediuntur cum sanguine plurimo, ex eo, qui egreditur, & mola ex omnibus istis est divisio secunda, & est eadem nominata mola, & alia ab illa non dicitur mola, & nominatur Persicè naducen; & causa in generatione hujus frusti carnis, secundum quod æstimatur, sunt duæ res, quarum una est multitudo materierum effusa ad eam, cum vehementia caliditatis; & secunda est coitus, in qua matrix comprehendit aquam mulieris, & extendit eam cum nutrimento, & propter defectum masculinitatis non concipit.

Ætius lib: 16. cap. 82. *Quæ mola à nonnullis affectus*

fectus hydropicus nominatur, affectus quidam uteri eſt ad ſchirrhi naturam tendens, interdum poſt inflammationem præcedentem eveniens, interdum poſt locale ulcus, cui caro ſupercreverit.

Paulus Ægineta lib: 3. cap. 69. *Mola quoque induratus eſt tumor interim in vulvæ oſtiolo, interim per totam ipſam prominet, tactu lapidis duritiem referens. Cæterum ſunt, qui molam carnem aſſerant informem, ipſis vulvæ tunicis adhærentem, fœtus modo in lucem edi.*

Actuarius lib. 1. meth. cap. 22 *Mola tumor eſt carnoſus, qui principium, & quod compactum habet, ſumit à ſemine proliſico.*

Fernelius lib. VII. path: cap. 15. *Mola eſt tumor carnoſus non in ſubſtantia, ſed uteri capacitate genitus.*

Ariſt: lib: 4. de gener: animal: cap: VII. *De eo, quod mola vocatur; videndum eſt hoc, vitium accidit nonnullis mulieribus gravidis, quamvis raro, pariunt enim quod molam vocant, jam accidit cuidam mulieri, ut cum concubuiſſet, & ſe concepiſſe putaſſet, primum ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent, ſed cum jam tempus pariendi eſſet, nec pareret, neque moles minueretur, ſed annos tres quatuorve perfecte ſuperaſſet, donec dyſenteria implicata, eoque morbo periclitata peperit carnem, quam molam vocant. Quin & tota vita edurat hoc vitium; ut & conſeneſcat, & commoriatur, quæ autem prodierit adeo obdureſcit, ut vix ferro tranſigi poſsit.*

In hac diverſa textuum tabula non niſi rudis & confuſa datur molæ delineatio, quam primi illi cæterorum Magiſtri expreſſerunt, unde minime mirum, quod Commentatores in diverſas iverint ſententias condonandum hoc principibus iſtis viris, qui in prima Medicinæ ætate majori cura incumbebant ad ſparſa artis Phœbeæ præcepta colligenda, obſcuras de obviis infirmitatibus tabulas illuſtrandas, & confuſos Therapejæ canones certo ordine diſtinguendos, ut Medicina in perfectius ſyſtema adoleſceret; atque adeo Antiquitas raro contingentium haud æque ſtudioſa ob vitæ brevitatem, & artis longitudinem illa poſteris diſcutienda reliquit; ſuffecit ipſis rarius viſa vel audita obiter annotaſſe, quorum veritatem niſi longa annorum ſerie expugnari poſſe prævidebant: qualis eſt hæc Molarum materia, quæ tot nugis ſcatet & ineptiis, quas ignara obſtetricum arrogantia, & fumivendula fæminarum loquacitas obtrudit credulis, ut neque pes, neque caput compareat; nam imbecillis earum mens in hac materia adeo fæcunda eſt ut nonniſi monſtra majora veris pariat, quia in abditiſſimis naturæ arcanis, quæ non intelligunt, ingenioſæ videri volunt, & ſibi adhibendam fidem præſumunt illarum rerum, quas tam avido ſinu complectuntur; adeoque ipſa ignorantia credulas fæminarum mentes in ſuperſtitionem rapit, quæ ut opinionem velent ſcientia, narrata ſua inauditis ornant hiſtoriis; verum quia Dea ſapientia, olim culta, & nunc

in

in remedium venit, quæ poſtquam abditas inveſtigare cæpit rerum cauſas, humano generi quaſi oculos dedit quibus ſcrutari, quam admirari mavult, cujus auxiliaris imploranda eſt dextra, ut veritas in materia tam intricata rationis & experientiæ filo extricata in lucem prodeat quæ Theologos pariter ac Juridicos quaſi manuducat ad tribunal quid decernendum ſit de virginibus, vel viduis, quæ molas geſtare vel excluſiſſe feruntur, nam quia in hac materia occurrunt caſus magni ponderis tam in foro poli, quam in foro fori, veritatem in hoc remotiori naturæ receſſu penetrare & aſſequi laboravimus, ne Judex tam Eccleſiaſticus quam ſæcularis in materia, quæ extra ejus verſatur ſphæram, in errorem incidat nam ſi ſolis auctoritatibus certetur nunquam veritas obtineri poterit, nam utraque pars probatiſſimos habere patronos eosque & numero & auctoritate pares numerare videtur.

Negativam defendunt de virgineo molarum conceptu *Hipp: Gal. Ariſt: Actuar: Zoroaſt: Piſo: Fern: Plater: Altim: Riol: Trincav: Mont: Par: Cord: Maſs: Duret: Rond: Holl· Zech: Rod: à Caſtr: Laur: Capiv: Rueff: Saxon: Lud: Merc: & plures alii.*

Affirmativam docent *Plutarch: Avic: Pedem: Gord: Valeſc: Samtar: fort: fid: Epiph: Ferdin: Donat: Scal: Lemm: Valeſc: Marin: Roch: Alex: Bened: Fuſch: Peram: Camill: Raven: Mox: Taurell. Paul: Zach: aliique plurimi.*

Ex qua Auctorum labyrintho vix Dædalus ſeſe expliçet, niſi ſepoſita omni auctoritate rationum

examinet pondera, nam nulla alia via ad veritatem acceditur, quam errorum confutatione, quam infelici id ſæpius tentetur eventu, quotidiana docet experientia; nam ſi veritas tam facilis foret inventu, ut multi inaginantur, tot ac tam viri nunquam in tam diverſas iviſſent ſententias, quapropter veniam merebimur, ſi ſcopum nec dum forte attigerimus, modo rectam viam demonſtraverimus; nam graves hoſce auctores primo reconciliare eſt animus, qua diſcordiæ in concordiam metamorphoſi veritas ultro obviis occurret ulnis, nam quisquis ſolo veritatis amore impulſus accuratius & attentius auctorum intueatur textus ſole clarius deprehendet, contrarias Auctorum ſententias originem ſumpſiſſe ex æquivoca vocis molæ acceptione; quæ facillime conciliari poterunt diſtinguendo *molas* in *molas generationis*, *& nutritionis*, nam illi Auctores, qui in ſacro generationis myſterio negant virginem ſine maris auxilio poſſe concipere molam, accipiunt *molam* in ſua propria & ſtricta ſignificatione, qua denotatur ſubſtantia carnea in uteri capacitate producta. Qui contrarium defendunt, tam late interpretantur notionem *molæ*, ut omnes uteri intumeſcentias præter ingravidationem comprehendat, ut ex allatis liquet textibus, ita ut accerrima illa quæſtio tot ſæculis à Viris doctis agitata ſit mera quaſi *ονομαχία*, unde ſatis mirari non poſſum imprudentiam Pauli Zachiæ ſeduli Curioſorum hujus ſæculi inveſtigatoris, quod tam acerba utatur invectiva in Amatum

matum Luſitanum, *non debebat*, inquit, *ſola auctoritate Galeni fultus tam audacter, nè dicam impie, religioſam illam mulierem impudicitiæ damnare*; ac ſi in gratiam Religioſarum mentiendum foret, non enim corrupta pudicitia verboſo revocatur ſtrepitu.

Dicimus ergo vocem *molæ* non derivari à voce *moles*, quia per illam fœminarum venter in molem attollitur, quæ forſan ad rem minus attendentibus occaſio fuit, quod omne id quod muliebre hypogaſtrium in majorem, præter embryonem, extendit molem, ſub notione *molæ* comprehenderunt: multo minus derivatur à græca voce μύλη, quæ molæ machinam denotat, quaſi ab externo ſemper moveretur, quia dantur etiam molæ viventes, quarum motus ab interno abſolvitur principio, imo ipſa nutritio molarum non viventium non externâ circumſcribitur juxtapoſitione, ſed interna aſſimilatione perficitur. Verum à medicis Perſicis huic uterino affectui nomen eſt impoſitum à voce Perſica, *molin*, quod carnis parturitionem denotat, ſicut ipſa ratio etymologica nos ducat in veram dictæ notionis ſignificationem, qua vox *molin* opponitur Perſico vocabulo *naducem*, quod omnem malam matricis diſpoſitionem præter molam connotat. Dum ergo primus omnium Magiſter *Hippocrates* doceat, molam è ſemine morboſo & modico concipi, nulli alii uterini tumores, qui ex alia materia trahunt originem, citra

magnam

magnam artis confusionem ad molas reduci possunt, nam sine semine masculino non fit molæ conceptus, quocunque etiam molimine *Fort. Fidelius* verba *Hippocratis* à vero sensu detorqueri studeat, extendendo illa *lib. 3. Relat: Med: cap. 5.* ad semen fæmineum quia sine expressa seminis masculini stipulatione pronuntiata sunt, sed primo huic explicationi obstat dialecticorum regula; qua vox analoga per se posita stet pro famosiori significato, secundo frustra addita fuissent modicum & morbosum, nam ex semine fœminarum sano & multo molam concipi posse docent; tertio græcus ipse textus dictam reprehendit opinionem, qui sic se habet. Περὶ δὲ μύλης κυήσιος τὸ δὲ αἴτιον. ἔστιν ὅταν πολλὰ τὰ ἐπιμήνια ἔχουσα γόνον ὀλίζον καὶ ἀσθενέα ξυλλάβωσιν. *Molæ autem conceptus hæc est causa quando multi menses modicum et morbosum semen complexi sunt.* Ille certe, dum hæc commiscitur, in gratiam lascivarum puellarum debet fuisse immemor laconismi Hippocratici, de quo vere possumus dicere, quod de Menandro Homerus, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, *pauca, sed valde decenter*, nam illa vox κύησις principaliter significat imprægnationem, secundario conceptionem, & osculationem, qui omnes actus uteri gestationem præcidunt, nam mulier non dicitur ex se ipso concipere, vel imprægnari. Sic etiam vox γόνη confundit *Fidelium*, quæ apud accurate loquentes significat semen masculinum, ἀπὸ τοῦ γίγνοντος, à generante, qui proprie mas est,

vel

vel aliquando utrumque ſemen in utero mixtum, quod apud latinos nomine genituræ audit; ultimo loca, quibus *Hippocrates* deſcribit molam, immediate ante & poſt loquuntur de imprægnatione, partu & puerperio.

Concluſio. Mola duplex eſt, una generationis, de qua hic agitur, altera nutritionis.

II. Mola generationis eſt tumor carnoſus in uteri capacitate genitus.

III. Hæc diſtinctio diſcordes Auctorum ſententias conciliat.

CAPUT II.

De Molarum diviſione.

UT tam gravium virorum illæſa ſervetur auctoritas, mola primo diſtinguenda eſt in molam nutritionis, & molam generationis, quæ diviſio in ſupra commemoratis Auctorum textibus quaſi digito demonſtratur, ad magnam quorundam Commentatorum confuſionem, qui inani conatu ad laſciviæ ſtimulum in luxuriantibus puellis honeſto caſtitatis titulo decorandum, veloque innocentiæ tegendum receptam *Hippocratis*, *Galeni*, & tot præſtantium Medicorum de ævo in ævum ſuccedentium de molarum principiis ſententiam impugnarunt, ac ſi verboſo murmure amiſſæ virginitatis flos revireſceret, nam ſi illorum

verba

verba perlegendo bene ruminaſſent, hæc diſtinctio contentionis præcidiſſet filum; quippe à nemine dubitatum, an in ipſa uteri virginum ſubſtantia ex materia nutritionis tumores carnei oriri, illi à tum externis tum internis matricis parietibus adnaſci poſſint; ſic duas rariores nutritionis molas hiſce meis vidi oculis, quarum altera in ipſa uteri ſubſtantia, altera in teſticulo apparebat. Prior à me obſervata fuit Anno 1671. in ſeniore filia devota, cujus mirabilem phlebotomiæ euphoriam octingenties & ultra inſtitutæ in vitæ ſuæ curriculo in obſervationibus noſtris Sculteto renovato annexis in convincentem τῶν αἱμαφοβῶν confuſionem enarravimus. Hujus devotæ hypogaſtrium inſtar jam jam parituræ adeo extenſum erat, ut præ molis gravitate ſe per viginti & plures annos domi continere coacta fuerit, & ſæpius per intervalla variis concuſſa anguſtiis tandem animam Creatori reddidit. In cujus cadavere in præſentia practicorum deprehendimus loco uteri tumorem ſcirrhoſum, & cartilaginem, qui vix cederet ferro, octodecim libras pendentem, in cujus meditullio rude uteri apparebat veſtigium, quæ cartilaginoſa & quaſi oſſea materia externis uteri magis quam internis laribus erat circumfuſa irregulari, & informi quaſi forma; è rene arteriam ſatis notabilem ſine comite vena habebat ſibi implantatam, quæ proculdubio cauſa fuit enormis ipſius muliebris fluxus, cui ordinarie obnoxia erat, nam cum ſanguis reſiduus vel ineptus ad talem

talem metamorphoſim ad cor redire nequiret, ſibi exitum per uterina quærebat oſtia; hujus molæ figuram D. Gerardo Blaſio Medicinæ Profeſſori communicavimus, quam in ſuis obſervationibus Anatomicis edidit.

Elapſis paucis ſeptimanis tumorem exterius priorem ſimilem, interiori facie longe diverſum quindecim libras pendentem invenimus in teſticulo puellæ undecim annorum, quæ cum à me, aliisque Practicis hydropica Indicata fruſtra diu adhibuiſſet pharmaca, incidit in circumforaneum, quæ matri certam promittebat reſtitutionem filiæ ſi biles trium luciorum ei potandas offerre vellet; quibus ebibitis tam atroces ex acrimonia aſſumptæ bilis exoriebantur dolores, ut mater ad nos refugere coacta levamen tantorum cruciatuum implorabat; qui præſcriptis cedebant pharmacis, ſed non ita diu poſt hæc miſera, vitam in meliorem commutavit; in cujus cadavere apparuit dictus tumor, è teſticulo exiguo pedunculo enatus totum occupabat hypogaſtrium; hic tumor exterius ſimplex apparebat: ſed detracta membrana, illum ex quinque coagmentatam deprehendimus, qui ſingúli propriis membranis ſecluſi admirandæ erant ſtructuræ & mirabiles gremio ſuo concludebant ſubſtantias; nam omnium ferme partium carnis, oſſis, cordis cerebri, cranii, imo & pilorum ſubſtantias ambitu ſuo magna circumſtantiarum admiratione complectebatur, quæ ſubſtantiæ diſtinctæ ſed ordine confuſo

ſo in ſingulis ferme pro ratione molis majori minorive quantitate oculis & manibus ſiſtebant noſtris, cujus figura ab eodem Blaſio edita multis ſuſpicionem dedit ac ſi cognoviſſet virum, verum cum jam per biennium tàm miſera vixerat, debuiſſet admiſiſſe virum octavô, vel nono ætatis anno quo tempore valetudinarias puellas Veneris agitari ſtimulis, non eſt veroſimile; ſed illæ ſubſtantiæ ex materia nutritionis traxerunt originem, ut multa ejuſmodi atheromatum ſteatomatumque exempla in aliis partibus apud Auctores exſtant quales tamen carneæ excreſcentiæ, ſi internis adhæreant parietibus recte molæ nutritionis vocantur, quia ex alimentoſo ſanguine naſcuntur, quæ æque Virginum uteris adnaſci poſſunt, ac aliis illarum membris, ſed de ſimilibus non tam acriter hactenus litigatum a Medicis, quorum veritas innoteſcit etiam illis, qui vel a limine Medicinam ſalutarunt; nam quando virgineus molarum conceptus literatorum monſtriæ & conſcientiæ examinandus traditur, ſolummodo quæſtio intelligenda eſt, an ex ſolo ſemine puellarum in uterum è vaſis propriis ſpermaticis effuſo, cum convenienti ſanguinis menſtrui exſtillatione in interiori matricis receſſu ſubſtantia carnea generari poſſit; quam materiam in hoc tractatu tractandam, & decidendam ſuſcepimus.

Practici communiter dividunt molam in carnoſam, ſanguineam, ſchirrhoſam, ventoſam, & aquoſam, ſed male, ita ut cum *Alexandro Tralliano* non



TAB. I

Fig. 1



X

X

TAB. I

Fig. II



TABULÆ PRIMÆ
EXPLICATIO.

FIGURA I.

AA. *Sunt renes.*
B. *Venæ cavæ deſcendentis truncus.*
C. *Arteriæ magnæ deſcendentis truncus.*
DD. *Venæ emulgentes.*
EE. *Arteriæ emulgentes.*
FF. *Ureteres.*
GG. *Vaſa ſpermatica.*
HH. *Teſtes.*
I. *Veſica.*
OO. *Ureteres diſciſſi.*
P. *Exterior facies tumoris cartilaginoſi uterum in meditullio complectentis.*
RRR. *Arteria ſpecialis è ſubſtantia renis dextri ſine comite vena emergens, per quam ſanguis ad tumorem deferebatur.*
TTT. *Surculi iſtius arteriæ intus & extus per cartilaginoſam excreſcentiæ ſubſtantiam diſperſi.*
X. *Peritonæi diſſecti portiones.*

FIGURA II.

BBBB. *Interior cartilaginoſæ excreſcentiæ facies.*
AAAA. *Diſſecti tumoris portiones.*
OOO. *Inæquales protuberantiæ intus conſpicuæ.*
P. *Uterus induratus & in ſe contractus.*

TABULÆ SECUNDÆ
EXPLICATIO.

FIGURA I.

AAAA. *Peritonæi ſecmenta.*
BB. *Renes.*
C. *Venæ cavæ deſcendentis truncus.*
D. *Arteriæ magnæ deſcendentis truncus.*
EE. *Vaſa emulgentia.*
FF. *Ureteres diſſecti.*
KK. *Vaſa ſpermatica.*
OO. *Teſticuli.*
G. *Veſica.*
I. *Pedunculus è dextro teſticulo, à quo dependet tumor.*
H. *Tumor ſchirroſus.*
OOOOO. *Quinque tumores minores ſchirroſi propria membrana veſtiti & per communem tranſparentes.*

Figura 2. & 3. *Cerebri ſubſtantiam denotat.*
4. & 5. *Cordis.*
6. & 7. *Pilorum.*
8. & 9. *Muſculorum.*
10. & 11. *Parenchymatum.*

TAB. II

Fig. 1



TAB. II

Fig. II

Fig. III

Fig. IV

Fig. V

Fig. VI

Fig. VII

Fig. VIII

Fig. IX

Fig. X

Fig. XI



non ſatis mirari poſſim, quod poſteriores Medici, viri omni alioquin exceptione majores, tam Arabes, quam Romani adeo jejune priores illos magiſtros perlegerint: nam ex ejus dictis luce meridiana, clarius conſtat, hos omnes docuiſſe, quod ſemen maſculinum ad molæ conceptionem requiratur, adeo ut molæ productio ſit ſpecies conceptionis, cujus actus nec flatu, nec aqua abſolvitur, & conſequenter mola ab ipſis tanquam morbus generationis conſiderata eandem omnino requirit materiam, ſed vitiatam, ſub quo dicti tumores comprehendi nequeunt. *Barbari*, inquit *Ludovicus Mercatus* lib. 3. de ſterilib. & prægn. cap. 8. *fere omnes crediderunt præter carneam illam ſubſtantiam, quam veram molam appellant, eſſe flatuoſam, vel aquoſam, aut cujuſvis alterius humoris naturam referentem intra uterum concluſam, ipſumque ingravidationis modo in tumorem attollentem, quas omnes molæ ſpecies ad falſam imprægnationem reducerem potius, quam ad molam: nam niſi caro ſit inutilis, & informis, haud quaquam molam eſſe vocandam arbitror.*

Hi proculdubio fallaci narrantium credulitate, vel infideli ægrotantium relatione deluſi imprudenter dictos tumores in molarum numerum redegerunt, dum mulieres, cum inſueto more laborare utero ſe ſentirent, nec morbi valentes ſpeciem diſtinguere, ſe juxta

obſtetricantium judicium mola laboraſſe ſib perſuaſum habebant, licet poſtea ſolum flatus vel aquas excluſerint, quapropter earum naturas confuderunt, attendentes magis ad notionem, qua ignaræ rerum phyſicarum obſtetrices, & credulæ mulierculæ hæc uteri ſymptomata inſignire voluerunt, quam ad propriam ejus naturam, priſcam, ſanamque *Hippocratis*, *Galeni*, aliorumque mentem, qui per vocem molæ ſolidam degeneratæ conceptionis ſubſtantiam in uteri area ob aliquod materiæ requiſitæ vitium per naturæ quaſi errorem productam intellexerunt; nam ab illis recedere ſine evidenti ratione & experimento, piaculum eſt, quod non modo ſternit viam ad artis confuſionem, ſed etiam ad immaturam multarum mortem; Quapropter Practicorum multi, *Avicennæ*, aliorumque auctoritate innixi falſa cum veris anxie colligunt, & ex hoc uno erroneo principio in multas hallucinationes delapſi nec rectam molarum cauſam, nec curam tradunt.

Hinc Medicorum contigit error in judicando & medendo valetudini Sereniſſ. Annæ Imperatricis ſemper augùſtæ, quæ obiit 13. Dec. 1618. Hæc plus quam Regia Matrona tribus annis ante obitum, cum peperiſſet nunquam, prolis avida, dum per novem menſes non obſervaret menſtrua, ſe utero geſtare credebat, ſed cum elapſo menſe nono non tam fortem em-

embryonis ſentiret motum fœtui, partui proximo, naturalem, & ex lacte tumor in mamillis deſideraretur, nullus partus ſubſecutus eſt, ſed per duos deinde annos torminibus ventris aliiſque exhauſta ſymptomatis miſeram tranſigebat vitam, quo biennio Imperatrix molam utero concluſam geſtare ab ordinariis judicabatur Medicis, quætot dolorum & cruciatuum foret cauſa, & communicatis conſiliis ad medicamenta molæ expulſoria deventum eſt, ſed fruſtra, donec tandem doloribus & anguſtiis conſumpta placide in Domino obdormiverit. Cadavere 14. Decemb. aperto hydropica inventa eſt, & aqua ſeſe tam bene in abdomine, quam utero prodidit; ſed quia quinque corpuſcula alba mucoſa uteri lateribus adhærebant, ſexto corpuſculo inter illa & humorem craſſum in uteri capacitate innatante, lis inter Medicos, etiam poſt mortem & autopſiam orta eſt, an ſereniſſima Imperatrix ex hydrope, an ex mola exſtincta fuerit, & unuſquiſque pro ſuo ſenſu, & judicio, quod tulerat in vivis acriter, ſed fruſtra dimicabat, ſic ut quidam ſciolus Chymicus inter ſua deliramenta gloriabatur, ſe Medicinis ſuis molam per uterum per modum aquæ expuliſſe.

Vincentus Crucius centuria 1. de quæſitis per Epiſtolam, illa corpora alba tam uterino parieti adhærentia, quam illud, quod media

dia matricis area innatabit aquæ, veras fuiſſ
molas ſtrenue contendit, arguta ratiocination
deducta à Græcis vocabulis σάρξ & κρέας, au
ctoreſque carpit ipſe carpendus, quod verum
Hippocratis & *Galeni* non perceperint ſenſum,
eorumque mentem eſſe eandem cum *Avicenn*
& *Arculano*, aliiſque oſtendere laborat, di
cendo, quod ad molæ conſtitutionem non re
quiratur vera caro, ſed ſufficere, quod ſit ſub
ſtantia coagulata, quia vox σάρξ, *ait*, eſt
analogum quid ad omnem ſubſtantiam coagu
latam & denſam, ſubjungens, *Hippocr.* & *Gal.*
uti voce κρέας, quando de vera agunt carne,
cum loquuntur de carne non vera, voce σάρξ,
& ut ſuam de harum vocum differentia opi
nionem lectoribus obtrudat probabilem, varios
ex ipſis & aliis auctoribus adducit textus, quos
recenſere & refellere operæ pretium non eſt,
ne nimio verborum certamine lectorem deti
neam, præcipue illum, qui in Græcis verſa
tus non eſt, ſufficit obiter annotaſſe, quod *Cru
cius* vel *Hippocratem* non attente legerit, vel
linguam græcam non recte calluerit: nam pror
ſus oppoſita illarum vocum differentia Hel
leniſmum intelligentibus tam nota eſt, quam
quod notiſſimum, ſcil. quod σάρξ veriſſimam,
& vivam ſignificet carnem, non ſolum apud
Hippocratem, ſed etiam in novo teſtamento
vox σάρξ pro toto accipitur homine, & ipſa Ser
vatoris noſtri incarnatio σαρκικὴν τοῦ Χριστοῦ, &
apud

apud *Metrodorum* firma corporis conſtitutio σαρκὸς ἐυσαθὲς κατάσημα vocatur, ſed vox κρέας tantum *mortuam* denotat *carnem*, & *victimam mactatam*, unde vas, in quo mactatæ reſervantur carnes, & menſa carnibus crudis plena κρεῖων dicitur, cujus veritatem extra omne dubium ponit vox πανκρέας, quod non eſt vera & muſculoſa caro, ſed corpus glanduloſum. Ita *Hippocrates muſculos* σαρκὲς, non κρέατα appellat, & lib. de Corde ita loquitur. Καρδίη μῦς ἐστὶ κάρτα ἰσχυρὸν, ϗ τῶ νόυρῶ, ἄλλα πιλήματι σαρκὸς. *Cor muſculus valde fortis eſt, non nervo, ſed denſitate Carnis*, huic etiam librum de principiis & carnibus inſcribit περὶ ἀρχῶν, ἢ σαρκῶν, & lib. de aff. §. XL. καὶ κρεῶν τὰ μέλεα ὅσα σαρκάδεα, & *carnium partes carnoſas*, propter quas vera caro eſt caro, quo ſenſu idem *Hippocrates* lib. de aff. §. XLII. art. 25. utitur voce σὰρξ ἐς ἰσχὺν ἢ ἄριστα, ὅσα σαρκὰ φύει πλήσην καὶ πυκνοτάτην. *Ad robur optima ſunt, quæ carnem plurimam & denſiſſimam pariunt*; imo in ipſo textu à *Cruc*io allato lib. 2. de vict. acut. §. 14. artic. 4. dicit. καὶ αὐτῳ αἱ σαρκὲς, quod a clariſſimo *Lindano* Medicinæ Profeſſore in Græcis verſatiſſimo exponitur in ſuo *Hippocrate*, *quin etiam vivæ carnes*: Unde ſatis liquet, *Crucium* illas voces à primæva ſignificatione detorſiſſe, ne videretur male judicaſſe, quod Imperatrix mola laboraverit.

Ex dictis sufficienter probatum dedimus, non aliam dari molam, quamvere carneam in uteri thalamo productam, quod confirmatur auctoritate Nicol. Pisonis, qui lib. 3. cap. 55. de Mola ita concludit. *Mola itaque imperfectus conceptus est, ea vero semper carnosa est, non, ut quidam falso opinati sunt, flatuosa vel aquosa.*

Hæc carnea generationis mola dividitur solummodo in mobilem, & immobilem, sive vivam, & vitæ expertem, de cujus tamen vita magis sobrie sapiendum, quam per vanas fæminarum, traditiones nobis obtruditur, ac si aliquando per cubicula cursitando saltationis absolverent comœdiam; adeo vehementi sæpe impetu ut vel glirium & felium instar parietes & feneſtras ascendant, quas canum instar venatum eunt, ut ipsis vitam quam non dederunt, sine misericordia adimant, quia portentum clamant, cæleſtis iræ signum, pulvinarium pressura suffocant, ne vano terrore cives, vicinos & amicos percellant. Et hoc ipso quo insolitos hosce partus celare studeni, nil aliud magna sedulitate agunt, quam quod prodigioso omine sub caritatis prætextu familias infames, maritos aversos, & amicos attonitos reddant: verum cum hæc in Naturæ libro meræ sint fabulæ & ineptiæ, nullum a doctis meretur scrutinium: nam vita, per quam Molæ dicuntur vivæ, non est vera vita, sed tantum variæ vibra-

vibrationes, & contractiones in quibuſdam partibus, quæ adſtantibus vitæ ſuſpicionem ſuggerit, vel ſanguinis & ſpirituum periſtalticus quidam motus, quo aliquatenus vitam adumbrare videntur, nam in quibus non datur Cor vitæ radix & principium, ut poſtea latius, non poſſunt actiones vere vitales exerceri: mehercule! dum in prole perfecta vix ante annum motus obſervetur progreſſivus, quis ſanæ mentis tantam agilitatem in informi concedet maſſa; quinimo quædam monſtra, quorum velocitas tantopere à quibuſdam decantatur auctoribus, meo judicio recte fide laborare videantur.

Concluſio. Mola generationis bimembris eſt, mobilis, vel immobilis.

CAPUT III.

De Semine in genere.

OMnem admirationem ſuperat, hominem, animal notiſſimum, adeo ignotam ducere originem, & motum aphrodiſium, cujus quotidianum exercitium cuivis hominum ſexui & ætati gratiſſimum, à prima Microcoſmi infantia uſque in hanc decreſcentem ætatem adeo eſſe obſcurum, ut necdum humana indu-

ſtria communis illius, nobiliſſimæ tamen ſubſtantiæ, *genuinam naturam, vires & operandi modum accurate explicare valeat*; quam homines lætabundi in voluptatis palæſtra effuſo transfundunt pectore, ac ſi amoris ille Enthuſiaſmus, qui magis in tenebris quam luce mavult exerceri, etiam menti offendat nebulas, quo minus ſeminis indolem clare & diſtincte percipiat, a cujus vera tamen perceptione, & intellectu omnis ferme noſtra dependeat felicitas, nam

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Licet pectoribus mores tot ſint, quot in orbe figuræ,

Qui ſapit, innumeris moribus aptus erit.

Quapropter, ſi ratio aliqua ſit invenibilis ad homines non ſolum ab infinitis corporis aninique morbis, ut & ſenectutis debilitatione præſervandos, ſed etiam procurandum, ut illi ſapientia & ingenio plura præſtent, quam fecerunt hactenus, merito illam in Medicina quærendam eſſe cenſent accuratioris judicii viri, ut quilibet recte cum Manilio canere poſſit,

Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva.

Docente *Hippocrate de decent. ornat. Oportet & ſapientiam transferre ad Medicinam, & Medicinam ad ſapientiam.* Quam viam cum fructu

ctu ingredi non poſſumus, niſi prius prima ſtructuræ noſtræ fundamenta accurate perſpecta habeamus, in quorum cognitione recte cum Ovidio

Pro ſuperi! quantum mortalia cæca
Noctis habent.

Antiquitas magis ſtudioſa ad inveniendam cauſam, per quam homines mutuo in ſe exardeant amore, quam ſolicita de inquirendis principiis, quorum beneficio ex tam abjecta & luciſuga ſubſtantia tam admiranda in lucem prodeat ſtructura, ad tam neceſſaria humanæ generationis arcana explicanda potius allegoricas excogitavit ſimilitudines, quam ſolidas protulit rationes. *Ariſtophanes* homini ingenitum propriæ ſubſtantiæ propagandæ deſiderium lepida explicat figuræ hiſtoria: In prima Mundi infantia præter marem, & fæminam promiſcinum ille conſtituit hominum genus, ex utrisque compoſitum, maſculinum Soli, fæmininum terræ, promiſcuum lunæ ſuum debebat ortum: integra erat cujuſque hominis ſpecies, & figura, manus quatuor, crura habebat totidem, & gemina facie, tereti cervice connexa, illecebroſa in ſe projiciebant lumina; unde propria pulchritudine capti ſuperiorem non ferebant, ac animi corporiſque robore confiſi cælum aſcendunt cum Diis de eminentia certaturi. Jupiter arrogantiam hanc deteſtatus ſingulos mox ſecuit in longum, duoſque fecit

ex

ex uno inſtar eorum, qui ova in longum capillo dividunt, iterum diſſcindendos, ſi rurſus faſtu in Deos inſaniant: ſectione facta dimidium amore ad dimidium trahitur, ut integritatis fiat reſtitutio, jactiſque circa ſe brachiis complectebantur invicem priorem habitum affectantes. Hujus parabolæ intuitu forte an Empedocles futuri fœtus partes divulſas eſſe docuit, easque partim in maſculino, partim in muliebri contineri, atque hinc Venerei complexus appetentiam animantibus oriri, divulſis nimirum particulis mutuam unionem affectantibus; effectus ejuſmodi veluti Naturæ ſublimioris oracula indies luſtramus oculis, paſſim haurimus auribus, dum abjecta ſeminum corpuſcula in germina frondeſcere, in proceras excreſcere arbores, inviſibilia inſectorum ova foliis, muris, tabulatis, terræque aſperſa in viſibilia excludi animacula vires cujuſque ſpermatis ſuo educi ſinu, & quaſi quibuſdam Orphei clavis conceptus aperiri, eoſque ex orco in lucem prodire obſervemus, activitatis tamen principium vix cogitatione aſſequimur, quomodo in tam vili ſeminis caſula tantus lateat architectus, qui arte plus quam Dædalea arborum apices in tantam elevet altitudinem, brachia in tantam expandat latitudinem, earumque comas tam variegatis ornet foliis, tam ſuaveolentibus comat floribus, tam gratis & humano generi adeo neceſſariis oneret fructibus, tam illuſtria

illuſtria ſtruat animarum tecta, tam incomprehenſibilia mentis domicilia abſolvat, fateamur, neceſſe eſt, in minimis etiam divinum quid latêre: quapropter omnis realis & phyſica illorum veritas extra fallaces ſenſus a divini Numinis imagine id eſt a ratione petenda eſt: non enim ſuflicit in genere contemplari quod viliſſima, & abjectiſſima ex herbis & animalculis non minorem acquirant apparatum, quam illa quæ apud homines ſunt in pretio, quæ omnia ſat cognoviſſe nobis imaginamur, modo in eorum admirationem rapimur, & quaſi attoniti in laudes primi Creatoris aſſurgimus, canentes:

An quoquam genitos, niſi Cælo, credere, fas eſt,
Eſſe homines,

acquieſcentes terminis ſolo nomine notis, ſed mens noſtra, ut quiſque in ſe ipſo experitur,

Non ſola fronte Deorum
Hæc contenta manet, ſed cælum ſcrutatur in
alto,

nec acquieſcit, niſi rei perſcrutandæ veritatem ſine ulla nebula clare & diſtincte perceperit, quam, ob præoccupata ſenſuum præjudicia difficulter invenibilem, non male putei exemplo illuſtrabat *Democritus*, quod hauriendi laborem, & tempus vix quiſpiam emenſus fuerit, niſi exhauriendo: nam venarum latentium, & nu-

numerus & amplitudo materiæ affluentis copiam dubiam relinquit, quia dum ſingula & loca, & corpora attentius perveſtigamus, tot in dies nobis dubia ſuboriuntur nexu indiſſolubili ſe invicem excipientia, ut ſæpius quaſi ad carceres nos reductos videamus, cum jam metæ proximos crederemus, in qua via plus præſtare poterunt ſolidiora ingenia, quibus experimenta & tempus ſufficiunt: nam cum univerſam microcoſmi geneſeos hiſtoriam tradere non eſt hujus loci, nec mihi animus, ſolummodo quædam attingemus, quæ viam ſternant ad genuinam ſeminis naturam ex evidentibus & primo conſtitutivis principiis declarandam, ut eo facilius aſſenſum de noſtra ſententîa quoad molæ generationem, & circularem ſeminis in ſanguinem, regreſſum impetremus, & ut in hoc ſtadio curriculum hunc felicius abſolvamus, quod de morum præceptis *Seneca*, in phyſicis ſummopere imitandum arbitramur; *illa morum præcepta optima* pronuncians Philoſophus, *quæ communia, quæ publica, quibus omnes ex omni ſchola acclamant*, *Peripatetici*, *Platonici*, *Stoici*, *Cynici*, &c. eodem jure in naturæ codice non poterunt non optima eſſe, principia quæ communia, quæ publica, quæ omnes ex omni ſchola admittere tenentur, tum novitatis in omni re avidi, tum priſcorum dogmatum ſtudioſi, idcirco ſtudioſe tranſeuntes conceptus metaphyſicos, terminoſque ſola notione notos,

in-

internæ particularum ſeminis ſupellectili contemplandæ vacabimus, ut hoc facilius a lectoribus admittatur, quædam præmittenda judicamus.

Primo cum Platone Deus in determinandis corporum naturalium figuris tanquam Geometer & Mathematicus conſiderandus eſt, non quod in prima creatione certas minimis etiam particulis inſculpſerit figuras, eaſque ſub quacumque corporis forma ab initio Mundi in hæc uſque tempora ſine ulla mutatione conſervaverit integras, ſed quod illas variis alterationibus, tam a cauſis intrinſecis, quam extrinſecis ſecundum figuras, ſitus, & magnitudines &c. juxta leges motus dictas particulas neceſſario tali vel tali circumſcribentes figura, obnoxias eſſe voluerit, dum materiam chaoëticam ex nihilo creatam impreſſo ſic diviſit motu, ut nullas intactas reliquerit, quam hypotheſin *Carteſius* quidem ut falſam, vera tamen producentem ſuppoſuit, ne in Theologorum incurreret odium, quibus hunc prima fronte durum fore ſermonem prævidebat, ac ſi illa hypotheſis revelatæ contrariaretur Veritati, quam tamen Altiſſimus Rerum Moderator in ſacro Codice expreſſis indicavit verbis : hiſce enim dictis primus Dei Interpres *Moyſes* Divino dictante Numine Sacrum auſpicatur textum : *In Principio creavit Deus cælum & terram, terra autem erat inanis, & vacua,*

vacua, & tenebræ erant ſuperfaciem abyſſi, & ab in
ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas: quid enim rum
ferri eſt aliud, quam moveri localiter? nam to qu
latio eſt notio omni Scholæ peripateticæ tam penn
Thomiſticæ quam Scotiſticæ notiſſima, qui docu
motum localem diſtinguunt a motibus altera erim
tionum, ex quo ipſo liminari textu evidente & fo
conſtat, Deum abyſſo nil aliud quam motum ctam
localem impreſſiſſe, quo omnia hujus mundi vapo
aſpectabilis corpora oriri voluit, quod ſex die- vere
rum ſpatio abſolvit, non quod totos forſan il- oſſiu
los dies in illis efformandis conſumpſerit, ſed prie
primis ſingulorum dierum inſtantibus tantum que
motus in tanta materiæ determinavit quanti- oſſe
tate, quæ ſufficeret ad illa corpora, quæ qua
ſingulis diebus in Mundi Theatrum prodire nam
voluit, in ſua perfectione abſolvenda, nec ulla ciu
imperfectio caderet in Deum, etiamſi ſuppo- hu
neremus totos illos dies in illo opere conſum- eſt
pſiſſe: nam ſicut liberrime creavit, ita plane pir
in ejus tanquam Dei abſolutiſſimi arbitrio fuit, jar
quam diu operari voluerit, non enim quæ po- fig
tuit, ſed *quæ voluit*, *fecit*, ſufficit ad infini- po
tam ſuam potentiam manifeſtandam, quod pr
uno die vel momento produxerat talia corpora, te
quæ ad ſui perfectionem multos requirunt an- n
nos, non enim ſimplici ſeparatione aut con- n
junctione particularum, cum aliis tantum ſi- g
tum & ordinem mutantium, vegetabilium, p
vel viventium abſolvitur generatio, ſed illa ſ
ab

ab interna cauſa, veraque intrinſeca particularum perficitur alteratione, nam cum ex alimento quotidie obſervemus naſci plumas, pilos, pennas, oſſa, carnem &c. quæ nulla experientia docuit, illa in nutrimentis extitiſſe, temerarii erimus, ſi putemus eorum omnium materiam & formam in prima Mundi creatione productam, è contrario, ſi ſpectemus oſſa, quæ in vapores abire nequeunt, temporis tractu in pulverem converti, ut ne minima quidem in eo oſſium veſtigia appareant, ſed omnes terræ proprietates poſſideant, quæ ratio a nobis extorquebit aſſenſum, ut judicemus minimas iſtas oſſeas particulas illum conſtituere pulverem, quæ externa tantum ſpecie immutatæ, & internam conſervantes oſſis naturam ſenſuum judicium fugiunt; non enim admiranda corporis humani fabrica ab externis mere cauſis petenda eſt, quaſi plantæ & animalia in Univerſi depingerentur tabula, ac hiberno tempore vitra & januæ diverſis arborum & florum decorantur figuris, nam nullæ cauſæ externæ ita conſpirare poſſunt, ut in ſemine tritici eas collocarent proprietates, quibus poſtea, dum cauſarum externarum auxilio producitur in actum germinationis, gaudet, ſi illius motus ab interno non dirigeretur principio, ſed nova omnis rei generatio intrinſecam mutationem ab interno præſupponit principio, alioquin non certa naſcerentur certis, ſed quidlibet ex quolibet &

in quolibet ad magnam Naturæ confuſionem proſiliret.

Secundo; in omni Philoſophantium ſchola doceri, quod ars imitetur Naturam, quæ regula ſatis demonſtrat, artem non Naturæ magiſtrum, ſed eſſe diſcipulum, adeoque figuram, ſitum, magnitudinem, aliaque media, quæ artifex adhibet ad aliquam formam, juxta ideam mente conceptam, mediante motu in materiam introducendam, ex intuitu Naturæ didiciſſe, quapropter recta dictat ratio, figuras, magnitudines, ſitus, motus minimarum etiam particularum non eſſe negligendas, ſed maximi eſſe ponderis ad interiora Naturæ contemplanda, rerumque eſſentias aſſequendas.

Tertio; minimas etiam ſeminis particulas mentali anatomia ſeparatas neceſſario habere tales figuras, quales minimæ partium particulæ habent, a quibus in corpore deſumptæ, & tanquam ſuperfluæ nutritionis particulæ in ſanguinem relapſæ ſunt, ac in illis, quantumvis exiguis, eſſe poros, quibus præter ſubtiliſſimam Univerſi materiam ſubtiliorem continentem ſubſtantiam, quam ex interno & proprio illarum partium fluido imbiberunt, per quas totius circulum abſolverunt.

Quarto; in minimis etiam ſeminis particulis clare & diſtincte poſſe concipi integram omnium partium quorumvis vegetabilium, & animalium ſine confuſione delineationem, u

revera externæ omnium partium, & corporum, quantumvis magnorum figuræ ſine ulla confuſione per poros tunicæ corneæ tranſeuntes anguſtam ingrediuntur pupillam, ac in fundo oculi delineantur; nec rationi repugnat, quod etiam in dictis ſeminis particulis revera integræ corporum dentur delineationes, quia nulla pars ſeminis eſt determinabilis, quin adhuc indefinities in minores & minores dividi poſſit, ſic ut ſingulæ ſeminis particulæ ſufficientem habeant expanſionem, in qua omnes omnium partium ideæ ſine confuſione deſcribantur, videmus enim exilia inſectorum corpuſcula, viſus aciem ferme ſubterfugientia in ventres & artus diſtincta celerrime motus omnes, animali proprios, perficere; ex minimo ſinapi ſemine proceram arborem, & exiguo corpuſculo vaſtam quercum naſci.

Quibus præmiſſis conſideranda verba *Hippocratis lib. de Nat. Puer.* hoc modo loquentis. *Quod ſi quis conſiderare velit ea, quæ de his dicta ſunt, ab initio uſque ad finem inveniet naturam omnem conſimilem eſſe ex terra naſcentium, & hominum*, cui ſuffragatur *Galenus lib. 1. de ſem. §. XII, ſi enim natura ſeminis non aliis producit viribus plantam, aliis animal, ea, quæ in plantis vides, transfer ad animalia, eandem enim proportionem in utriſque invenies.* Neuter tamen ſeminis definitionem aggreſſus eſt, nec ipſe *Ariſtoteles*, ac ſi belide

humanæ rationis altitudo myſterii generationis attingi non poſſet, mehercule admiratione dignum, obvium Naturæ luxuriantis fomitem adeo abſtruſum, ut præſtantiſſima Priſcorum ingenia plaſticam ejus virtutem ſpecioſis verbis maluerunt adorare, quam ejus naturam recto rationis uſu contemplari, quæ quotidie tam certos & infallibiles cuivis & ubivis terrarum exhibet effectus; quia tamen omnium ſæculorum ſuffragio prima hominis felicitas a ſui dependet cognitione, quæ perfecte nequit obtineri, niſi prius accuratam corporis noſtri ſtructuræ idæam habeamus, nos in medium quid proferre conabimur quod aliis forſan dabit occaſionem, hanc materiam accuratius & majori cum fructu elaborandi; ſuffecerit nobis cum *Ariſtotele* illam ad poſſibile reduxiſſe. Dicimus itaque ſemen in genere eſſe *congeriem minimarum particularum rudimentum omnium partium corporis, in quo colligitur, continentium, cum determinatione motus fluidi intus concluſi, quo ſingula partium ſtamina debita proportione ex convenienti alimento ſenſim in requiſitam molem extenduntur.* Cujus deſcriptionis veritas ſatis efficaciter videtur poſſe deduci ex tam admirabili omnium individuorum cujuſcunque ſpeciei diverſitate quoad colorem, magnitudinem, vocem, inceſſum, & ejuſmodi, tam in regno vegetabilium, quam animalium, imo inter mille hominum myriades

des vix duos invenies, qui in omnibus ſibi adeo æquales, ut vix ab intuentibus aut audientibus diſcerni nequeant, cujus phænomeni ratio vix aliunde peti poteſt, quam ex varietate quoad ſitum, magnitudinem minimarum particularum mutuo implexu ſibi incumbentium; nam quamvis ſingulæ ſpecies certam habeant proportionem quoad figuram, ſitum, magnitudinem minimarum particularum, ex quibus prima conflantur ſtamina, illa tamen proportio certam habet latitudinem, quæ cauſa eſt, cur tanta varietas in individuis conſpiciatur, nam ſi vel minima variatio quoad locum, vel magnitudinem contingat in prima ſtaminum textura, neceſſario exſurgit manifeſta variatio in toto corpore, quia ſecundæ primis, tertiæ ſecundis, quartæ tertiis, & ſic porro de cæteris particularum plicis & laminis ſibi invicem ſuperincumbentibus, ſe accommodare debent; quem Naturæ ordinem imitantur pictores in hominibus ad vivum depingendis, qui ex eadem materia tot diverſas facies exprimunt.

CONCLUSIO. Semen in genere ſpectatum eſt congeries minimarum particularum rudimentum omnium partium corporis, in qua colligitur, continentium, cum determinatione motus proprii fluidi intus concluſi, quo ſingula partium ſtamina debita proportione ex convenienti alimento ſenſim in requiſitam molem extenduntur.

Caput IV.

De Physica Seminis Substantia.

MEdicorum axioma est, *iisdem nos nutriri, quibus constamus*, Galen. lib. 1. de Sem. §. 26, *unaquæque pars, ex qua primum facta est substantia, etiam semper nutritur, quod nutritio sit oppletio substantiæ defluentis.* Aristotel. lib. 11, de generatione. 3. *eadem est materia, ex qua primum constituitur animal, & ex qua postea nutritur*, hujus regulæ veritas se extendit æque ad materiam proximam, quam remotam, si sano interpretetur sensu, nam materia nutritionis & generationis non sensuum testimonio, sed mentis ratiocinatione in œconomia tam vegetabilium quam animalium eruenda est, ut distinctum de illa formemus conceptum, distinguendum enim est inter humores, qui integro novem mensium spatio in utero matris absumuntur in fabricam fœtus, & illos liquores, ex quibus prima structuræ humanæ formantur stamina, quia diversi sunt humores, ut colliquamentum, annii liquor & sanguis maternus, ex quo ultimo prima corporis humani componi filamenta docuit cum suis *Aristoteles*, quem *Galenus* cum modernis jam dudum erroris evidenti rationis & experientiæ bilance convicit, saltem non stat hujus re-

regulæ veritas quoad materiam remotam, ſi ſanguis per illam intelligatur maternus, nam ante illius appulſum prima corporis ſtamina conflata ſunt, ſed debet intelligi ille ſanguis, qui immediate in cruorem reverſus ex ſemine, in puncto ſaliente apparet, de cujus regreſſu latius cap. 9; ſed hujus axiomatis veritas evidentius conſtat in proxima nutritionis & generationis materia, quæ prorſus eadem eſt, nam utriuſque actionis termini nil aliud ſunt, quam minimæ particulæ è maſſa ſanguinea ſecretæ, nam illæ, quibus ſingulæ nutriuntur partes, eadem figura, magnitudine & ſitu debent eſſe circumſcriptæ, quibus erant adaptatæ, dum partes ex iis generabantur, v. g. minimæ ſanguinis particulæ, quæ in cordis fabricam hominis adulti, & quæ in corculi embryonis in colliquamento delineati convertuntur, debent eodem modo eſſe diſpoſitæ, nam nulla differentia inter illas cum ratione concipi poteſt, niſi fortean quoad moleculas, (quamvis ſit valde dubium, an particulæ quæ per inſenſibilem exhalant tranſpirationem magnitudine ſuperent particulas, quæ per vaſorum capillarium poros cribrantur) imo rigoroſe loquendo, deberent eſſe ejuſdem magnitudinis, & figuræ, ſi replerent ſpatia à particulis diſſipatis derelicta, quod bene obſervavit Galenus lib. 1. de tuend. ſanit. *Verum, cum quod ſingulis particulis defluxit, tale naturâ ſit, qualis ipſa eſt particula,*

neceſſarium naturæ fuit ea prius immutare, co
coquere & quam fieri maxime potuit, efficer
corpori alendo reſtituendoque ſimilia, quo
opus non ſolum perficitur in officinis publici
ſed & privatis, nam docente eodem *Galeno*
non ſolum *una quæque pars proprium habet ali*
mentum, ſed etiam *quælibet pars alimentum*
ſibi ipſi alterat, & nutrimenti meatus alii ſu
communes, alii ſingularum partium, in quo
apparatu conſiſtit alteratio particularum ſan-
guinis vaſorum capillarium oſtiolis & poris in
intermedias ſingularum cavitates elapſarum,
quam alterationem à *Galeno* edoctam & requi-
ſitam Moderni accuratiore quidem enucleant
explicatione, quod dictæ ſcilicet particulæ par-
tim certis cribrationibus certas & determinatas
acquirant figuras & magnitudines, partim per
mutuam ſibi in illo ſubtili fluido in inter-
mediis contento ſpatiolis occurrentium attritio-
nem, ut parti reſtaurandæ commodius intexan-
tur; non ideo *Galenica* doctrina prorſus ſcholis
eliminanda, animiſque delenda eſt, ſed potius
perficienda, ut tela ab illis bene exorſa recte
pertexatur, & loco diſſidiorum concordia, loco
altercationum veritas in commodum proximi
emergat e ſcholis Medicorum, quibus vitæ hu-
manæ ſalus concredita eſt. Quod obiter ad-
monere volui, ut nimio erga Veteres faſtidio
turgidi videant, quam facile verus Priſcorum
dictis ſenſus conciliari poſſit; itaque nulla ferme

in

re, con in nutritione & generatione eſſentialis eſt diffe-
efficer rentia, niſi in termino productionis, quod op-
quo time expreſſit *Galenus* lib. de Nat. facul. *nutri-*
ublici *tur id, quod eſt, gignitur, quod non eſt, &*
Galeno *quod os non erat in generatione, poſtea os factum*
bet ali *eſt: in nutritione vero ei, quod jam factum eſt,*
entum *id quod afluit, efficitur ſimile.* Imo ex hoc ratio-
lii ſum nis filo recte concludimus, ipſiſſimam genera-
n quo tionem ſolummodo conſiſtere in illa actione,
n ſan- qua prima partium in ſemine efformata ſtamina,
oris in & ex reconditoriis ſuis per maris & fœminæ
arum, complexum in uteri thalamum transfuſa in
requi- exigua illa liquoris criſtallini brilla, in colliqua-
cleant menti medio innatante, juſto ordine, debito-
e par- que ſitu collocantur; nam illa actio, qua dicta
inatas ſtamina ſenſim increſcunt, & in majorem exten-
n per duntur molem, ipſiſſima nutritio eſt, hinc
nter- merito dictam propoſitionem convertere licet,
ritio- *nos ſcilicet iiſdem conſtare, quibus nutrimur*, &
exan- potiori quidem jure, nam animalia non gene-
holis rant, antequam in juſtam magnitudinem enu-
otius trita ſint, ſic ut ipſa nutritio generationi ſup-
recte peditet materiam, non remota aliqua præpara-
loco tione, ſed perfecta elaboratione, nam valde
ximi dubium mihi videtur, utrum teſtes aliquam
hu- perfectionem ſuperaddant particulis a maſſa ſan-
ad- guinea ex arteria ſpermatica in teſtium tubulos
idio tranſmiſſis, nam cum dictæ particulæ non poſ-
um ſunt habere majorem perfectionem, quam ulti-
me mam & proximam diſpoſitionem, per quam fiant
in

partes corporis viventis, quam habuerunt, a
tequam in teſtium anfractus & canaliculo
delapſæ ſunt; deinde veroſimilius videtur
quod dictæ particulæ figurentur, & in juſta
magnitudinis laminas dividantur in ſingula
partibus, quam quod tot diverſæ figuræ &
magnitudines ab iiſdem teſtibus deſcribantur
niſi ſtatuamus illas partium figuras a continua
idæarum tranſverberatione materiæ ſemina
li in teſtibus contentæ imprimi, de qua idæa
rum tranſmiſſione poſtea latius, teſtiumque
actione; cuivis enim vel etiam minime ad rem
phyſicam attendenti notum eſt, quod nulla
vegetabilia germinandi rideant lætitia, nec
animalia generandi luxurient libidine, niſi
in juſtam quantitatis molem excreverint juxta
illud tritum, *omne quantum eſt determinatum*
ad maximum, & minimum, inde phyſica ſe-
minis ſubſtantia non aliunde petenda videtur
quam ex proximo alimento; nam cum corpo-
ra viventia ſummum accreſcendi attigerunt
terminum, continuato eodem vivendi regi-
mine neceſſario plures ſanguinis particulæ per
conſuetas cribrationum vias ad ſingulas partes
tranſmiſſæ ibidem debita figura, juſtaque ad-
aptantur magnitudine, earumque poris inter-
no & proprio illo ſubtili fluido repletis, quam
ad illarum conſervationem requiruntur, quæ
in intermini fluidum relapſæ cum particulis
necdum ſufficienter diſpoſitis in venarum
oſtiola

unt, a ſtiola tandem cum ſanguine ad cor revehun-
nalicul tur, in cujus officina crudiores recoquuntur
ideturad juſtam maturitatem, & illæ quæ jam ſum-
in juſtam in ſingulis ſuis partibus perfectionem
ſingula deptæ benefico cordis motu ad ſubtiliorem
guræ & volatilitatis rediguntur ſtatum ob contentum
banturin poris ſuis ſubtile illud fluidum, quæ cum
ontinu ſanguine circulantes eundem magis exaltant,
ſemina & illam alterationem in moribus, voce, judi-
a idæa cio inducunt corporibus, quam circa annos
umqu pubertatis obſervamus; cum itaque omnes illæ
ad ren particulæ in ſingulis individuis, in quibus
d nul omnem elaborationem ad vitæ formam neceſſa-
, nec riam nactæ ſunt, in vitalium Larium numerum
, niſ ob copiam admitti, nec ob redundantiam in
t juxt partium uniones ſuſcipi poſſunt, Natura vege-
natum tabilibus pariter ac animantibus providit rece-
ica ſe- ptaculis, in quibus in opportunum uſum col-
idetur liguntur & reſervantur, ubi tam diu ſtatum fi-
orpo- xionis obtinent, donec in commoda matrice
gerunt coadjuvantibus cauſis externis ad ſtatum fu-
regi- ſionis reducuntur, in qua impedimento motus
æ per liberati eundem reſumunt, quo motu, cum
partes extra ſphæram nutritionis jam conſtitutæ ne-
e ad- queant in ſubſtantiam viventis converti, novæ
inter- ſubſtantiæ exordium moliuntur, quæ ſenſim
quam ſine ſenſu ex coævo pabulo in ſenſibilem molem
quæ excreſcit.
culis
rum Ipſam ſeminis realem eſſentiam eſſe ipſiſſi-
ſtiola mam proximi alimenti, quocunque id nomi-

ne

ne nuncupetur a variis, ſubſtantiam, ex omnem dubitationis aleam demonſtrant arb rum ſurculi, convenienti loco & tempore plantati, qui de novo radices agentes arboru numerum in univerſo augent, dum ab arb ribus avelluntur, ubi folia, flores, & fruct produxiſſent, ſi iiſdem manſiſſent contin Sic notum eſt herbas, bulbis turgidas ſuccum quem mutatura fuiſſent in folia & fronde in radicis ſubſtantiam convertere, ſi terra, c commiſſæ ſunt, pedibus conculcetur, cui alimentarius ille ſuccus in ſublime nequit eme gere, ad imum retrovergit, ubi in bulbos effor matur, & novæ plantæ molitur exordium.

Idem docent tempus, & locus, quibu plantæ & arbores ſemina concipiunt, & pa riunt; nam quando à radice omnia ſtamina cum intermediis angulis, alis & lateribus ad cacumen uſque mediante ſucco nutritio ad juſtam quantitatem extenſæ ſunt, idem ille ſuccus, ſine ulla prævia in certis capſulis elaboratione, in faſtigiatis ejus apicibus ſeminis productionem aggreditur, ubi prius imibellas præparat, quæ ſunt floris ſeminiſve pedamenta, in plures digeſta longiores pediculos qui ſimul ex eodem vertice orti in latius continuo radiantur, ſingulis florem vel ſemen continentibus, in quibus ex eodem illo ſucco ob pororum variationem ſubtilior excluditur materia, quapropter in aeris vicinia roris inſtar primo concreſcens

creſcens poſtea formam ſolidi aſſumit, amiſſa pro tempore fluiditate, quorum particulæ deinceps convenienti humido diſſolutæ, blandoque calore excitatæ vitæ ſuæ motus repetit, novamque plantam in Mundi theatrum producit. Sic manifeſta ratio & experientia evincit, ſeminis ſubſtantiam in animantibus eſſe eandem cum ſubſtantia alimenti proximi, hoc eſt, eſſe tales ſanguineæ maſſæ particulas elaboratione cordis ad ultimam perfectionem exaltatas ſingularumque partium rore aſperſas, ut illa abſque ulla interiori coctione vel alteratione in ſubſtantiam partium converti poſſint, quæ, cum abundent in ſanguine animalium, quæ matura ſunt Veneri, e vaſis ſpermaticis per poros teſtium cribrantur, ibidemque figuntur, & incraſſantur, quæ poſtea in palæſtra amoris reſolutæ priſtinos recipiunt motus, novamque determinationem accipiunt.

CONCLUSIO. Phyſica ſeminis ſubſtantia ſunt ipſiſſimæ proximi alimenti ad vitam ſuſcipiendam ultimatim elaborati particulæ, quæ in certis capſulis vel vaſis generationi dicatis ad ſtatum fixionis redactæ, ibidem pro ſpeciei propagatione in tempus opportunum reſervantur.

C A-

CAPUT V.

De ſemine humano.

SAturnum *Apollodorus* aſſerit alligari per annum laneo vinculo, & ſolvi ante diem ſibi feſtum menſe Decembri, atque inde enatum volunt illud proverbium, *Deos habere pedes laneos*; hac parabola ſignificari aſſerunt, ſemen in utero animatum decem ferme menſium ſpatio mollibus naturæ vinculis detineri, donec in vitam grandeſcens in lucem erumpat, nam à ſatu *Saturno* nomen eſt; molli certe & lanea prima vitæ noſtræ ſunt ſtamina, in molle matris gremium molliter effuſa, ſed ad laneam hanc & mollem embryonis telam rationis filo detexendam diutius quam decem menſes imo ſæcula laboratum eſt, nam Recentiores æque ac Veteres in varias iverunt ſententias, cujus diverſitatis præcipua mihi videtur ratio, quod omnium ſuffragio excepto *Ariſtotele* peculiaris quædam virtus adſcripta ſit teſtibus, quorum elaboratione humores affluentes excoquuntur in talem ſubſtantiam, quæ eſſentialem accidentium ſyndiomen, id eſt temperiem quoad motum, magnitudinem, figuram, ſitum omnium partium corporis, cujus eſt ſemen, in ſe complectitur, qua dicti humores erant deſtituti, antequam teſtium

ſtium lares ſubierant. Qui error tam altas egit radices, ut hac oculata rei literariæ facie necdum ab illis obſervetur, qui jam dudum ſervitutis illud jugum excuſſerunt, quo literatorum chorus terminis ſolo nomine notis acquieſcere ſolebat, dum jam ſatis evidenter demonſtratum eſt, totam hominis delineationem æque ſine confuſione poſſe contineri in exigua ſeminis bulla, teſtiumque meatus ingredi, iiſque egredi, ac imagines maximorum objectorum in pupillam oculi ingrediuntur perfecte cum omnibus ſuis partibus, quæ in fundo ſenſim ſine ſenſu in ſenſibilem latitudinem extenduntur, manifeſta ratio evincit, impoſſibile eſſe, quod tot inter ſeſe differentes omnium partium figuræ, magnitudines, cæteræque proprietates imprimantur ſemini una eademque teſtium coctione, quantumvis ſpecificam & eminentem illam imaginemur; nam nulla apparet ratio, quæ nos movet, ut credamus, quod teſtes, dum illos omnes ſanguinis affluentis particulas in ſemen eodem convertere docemus modo, his tales imprimat proprietates, quæ cordis particulis propriæ ſunt, iſtis, quæ hepati, aliis, quæ oſſibus, & ſic de cæteris, ſingulares ſunt, ſed longe facilius intellectu eſt, quomodo ſingulæ ſanguinis particulæ, quæ a nutrimento ſuperfluæ, in ſingulis partibus ſingularum proprietates adeptæ, & in cor regreſſæ cum reliquo ſanguine

guine circulentur, quarum aliquæ certa cribratione in teſtium poros admiſſæ, eorumque anguſtiſſimos canaliculos traductæ, aqueiſque particulis liberatæ, ulterius non a, ſed in teſtibus tanquam loco convenienti conſerventur, & perficiantur in iſtis proprietatibus, quarum continent exordium, ab externo ſubtilis materiæ motu, ab idæis ſingularum partium in cerebro exiſtentibus per intermedios globulos vitales in teſtes delatis, quod *Ariſtoteles* variis locis expreſſe docet, nam lib. 1. de gen. anim. cap. 1. comparat naturam generantem cum artifice, & ait, *Quod in iis quoque agitur, quæ arte efficiuntur, ars enim principium, formaque ejus, quod efficitur, ſed in alio, motus autem naturæ in ipſo eſt, ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam*, teſtes autem non poſſident actu formam omnium partium corporis humani, & conſequenter motus ad ſingulas partium formas materiæ affluentis particulis imprimendas ab ipſis teſtibus produci nequit, quod adhuc clarius explicat lib. 2. de gen. anim. cap. 1. *Semen igitur tale eſt, motumque habet, principiumque tale, ut motu peracto pars exiſtat quæque, eademque ſit animata, quemadmodum non ſecurim aut aliud inſtrumentum dixerimus factum eſſe ab igne ſolo, ſic non pedem, non manum, eodemque modo ne carnem quidem, nam ejus quoque aliquod officium eſt, dura igitur, lenta, rigi-*

rigida, & quicunque alii affectus insunt partibus animatis, à caliditate, frigiditate effici possunt, at ratio, qua jam caro, aut os est, non potest, sed à motu proficiscente efficitur ab eo, quod genuit, quod actu est id, quod potentia est id, ex quo gignitur. Simili modo loquitur *Albert. Magn.* lib. 1. de animal. tract. 2. cap. 37. *Semen omne, ex quo est generatio, sive sit in matrice alicujus animalis, sive non sit, habet in se virtutem formatricem, quæ virtus absque dubio est in semine, non ex elementis, sed ut artificis forma super materiam, ut fiat artificiatum.* Quid clarius, quam Veteres etiam constituisse seminis formam in figuratione, magnitudine, particularumque minimarum situ, quæ cum juxta singularum partium naturam varient, ab eadem motus determinatione in testibus, multo minus eadem coctione a testibus produci nequeunt.

Ut clare & distincte percipiamus modum, quo dictæ seminis particulæ figurentur, & in justas lamellas complanentur, aliave textura complicentur, sciendum, dictam figurationem, divisionem, & compositionem fieri, & plerumque integre absolvi in singulis partibus, quia illæ, ut ante probavimus, nil aliud sunt quam ipsissima proximi alimenti substantia, quibus nihil aut parum deest, quod ad essentialem partis requiritur constitutionem, in cujus substan-

tiam fuisset conversa, nisi præ copia sibi similium ad sanguinem repulsæ fuissent. Quod autem deest, vel in via amisit, in testibus acquirit; ut hoc recte intelligatur, considerandum.

Primo, in virorum cerebris æque contineri idæas omnium partium, ac in fœminarum, quæ idææ tempore pubertatis excitantur ob peculiarem illo tempore in sanguine fermentationem, etiam citra nostras cogitationes, uti contingit in animalibus, & talem spiritibus imprimunt motus determinationem, quæ sufficit ad talem figuram seminis particulis imprimendam, qualem ipsa in se complectitur.

Secundo, idæas, earumve motus non deferri per sanguinem in testes, quia mediante sanguine non datur inter cerebrum & testes contactus, nisi sanguis a cerebro redux in cor relabatur, in cujus thalamis necessario accipit aliam motus determinationem ob rarefactionem, & resolutionem necessario ibidem subeundam; adde quod ille radiationis motus necessario ob opacas, crassas, terrestres, nigras particulas massæ sanguineæ immixtas imminuitur, vel suffocatur, sed ille motus defertur à cerebro ad testes per intermedios globulos vitales, qui in microcosmo, æque ac globuli ætherei per aërem in macrocosmo, à capite ad calcem secundum lineas rectas sunt diffusi, qui globuli vitales nil aliud sunt quam spiritus vitales ad illam tenuitatem

tem redacti, ut arteriarum, in quibus cum sanguineæ massæ particulis implexi detinebantur concluſi, poros libere permeare possint, ad spatiola ab irregularibus vaporum ab igne subcutaneo excitatorum particulis occupanda, quorum globulorum vitalium interstitia rursus implentur à particulis primi elementi microcosmi, quæ nil aliud sunt quam spiritus animales ad tantam exilitatem redacti, ut intra nervorum meatus contineri nequeant, & ex minutiis globulorum vitalium abrasis enati; nec hoc gratis asseritur, non enim cum majori fundamento vacuum in parvo quam in magno mundo concipi potest, quoniam necessario ob valde irregulares & angulosas vaporum transpirantium particulas dentur interstitia, debent etiam admitti quædam exigua corpuscula, quæ dictos meatus repleant, ad quos globulis æthereis, & particulis primi elementi megalocosmi non tam facilis datur ingressus, propter peculiarem pororum constitutionem, quam Auctor Naturæ animantibus creavit talem, ut facilis vaporibus ab igne subcutaneo suscitatis & propulsis detur exitus, non vero tam commodus particulis primi elementi globulisve æthereis cum aëre extimam corporis nostri superficiem atmosphæræ instar ambientibus ingressus, quia hoc ipso quo aer & globuli ætherii à materia primi elementi undique versus superficiem corporis nostri pelluntur, isti meatus pressione

iſta comprimuntur, & ſubſidunt, eo modo quo ureterum oſtia ab urinæ preſſione, in veſicam delapſæ, occluduntur, quod ſummus Rerum Moderator ita diſponere voluit, ne nimis cito tam artificioſa machina diſſolveretur, ut videmus illa corpora magis eſſe corruptioni obnoxia, in quæ aër & æther liberum habent commeatum; quæ forſan eſt ratio, quod piſces diutius & ſalubrius vivant, quam animalia terreſtria: deinde ſicut navis, ſi innatet aquis, facilius inſequitur motum a vento, aliove corpore impreſſum, & clavi moderamen ſuſcipit, ita muſculi, & nervi, determinationi voluntatis noſtræ, ſpirituumque influxui melius obtemperabunt, ſi undique duobus iſtis corporis noſtri elementis ſive fluidis internis propriis ſint circumfuſi, ut & viſcera accuratius exercebunt motus vitales, ſi non ſolummodo intra penates ſuos concluſos teneant ſpiritus vitales, ſed undique globuli vitæ ea circumnant.

Dum ergo experientia docuit, beneficio artis effici poſſe, ut imago in ſuperficie marmoris depicta penetret totam ſubſtantiam, adeo ut in quot paralela ſecmenta dividatur lapis, eadem ſe offerat imago, eo modo gemina aquila ſe oculis intuentium exponit in radice filicis, in quot laminas ſecetur radix; quapropter nulla apparet difficultas, quo minus credamus, ſemen non propria teſtium elaboratione

figuras

TAB. III



figuras partium ſuſcipere in particulis, in quarum debita figuratione potiſſimum conſiſtit ſeminis fœcunditas, ſed illam abſolvi partim in ſingulis partibus, partim a motu ab idæis globulis vitalibus & ſpiritibus impreſſo: non tamen cum *Ariſtotele* facimus, ac ſi teſtes ad generationis actum, & ſeminis confectionem minus forent neceſſarii, nam in illis acquirunt ſanguinis particulæ ductilitatem, & tenacitatem, quæ duæ qualitates maxime requiruntur in ſemine, ut ejus particulæ ſine interruptione juſto ordine & ſitu extendantur, quas ſemen adipiſcitur in teſtibus lenta refrigeratione, id eſt tardiori ſubtilis materiæ excluſione, eodem ferme modo, quo chalybs, ſi lente refrigeſcat, fit tenax & ductilis, ſi ſubito, durum & fragile, ita vitrum, niſi lente refrigeſcat, fit tam fragile, ut ne aeri quidem reſiſtat. Eandem ferme ob cauſam ſemen acquirit albedinem ut aqua in nivem, grandinem, glaciem, & ſpumam converſa, nam dum aqueis liberatur particulis, ſimul etiam multum materiæ ſubtilis excluditur, & amiſſa fluiditate particulæ ſibi magis uniuntur & incumbunt tali ſuperficie, quæ nullam radiis reflexis inducit mutationem; ejuſque oleaginoſitas oritur ex eo, quod ſeminis materia neceſſario per anfractuoſos & longiſſimos iſtos canaliculos in multos dividatur ramulos, qui aliis admixti reddunt ſeminis ſubſtantiam pinguem

guem & oleaginoſam, quæ tamen accidentia utpote albedo, ductilitas, oleaginoſitas ſenſus noſtros afficientia, non conſtituunt eſſentialem ſeminis formam, quæ conſiſtit in debita proportione particularum juxta figuram, magnitudinem, ſitum &c. iſtarum partium cujus eſt ſemen, quæ eſſentialis ſeminis perfectio, ut accidentalia ejus attributa non aliqua coctionis ſpecie abſolvuntur in teſtibus, nam actio quam particulæ ſanguinis in iiſdem ſubeunt, nulla ratione ad coctionem referri poteſt; primo quia omnia organa coctionibus deſtinata diſtincta habent vaſa & ductus, per quos materia advehitur excoquenda, ab illis, per quos adducitur alimentum, ut v. gr. non numerato ventriculo, ſanguis pulmonum alimentoſus defertur per arteriam bronchialem, ſanguis in pulmonibus perficiendus e dextro cordis ventriculo per vaſa levia in ſiniſtrum cordis thalamum, ſanguis pro nutrimento hepatis defertur per arterias hepaticas, ſanguis in fermentum hepaticum excoquendus per venam portæ, & ſic de cæteris. Secundo, habent receptacula, in quæ fæces a ſanguine per coctionem depuratæ recolliguntur, ut hepar, veſiculam fellis, cerebrum, aures, nares, oculos, vel excluduntur, ut fuligines per ſubactionem pulmonum a ſanguine ſegregatæ exſpirationis beneficio foras amandantur, & ſic de cæt. Ex quibus manifeſte

concludi poteſt, illam actionem, quam teſtes conferunt ſemini, tantum dirigi ad ejus formam accidentariam perficiendam, ut dictum eſt.

Objicies forſan, triſtitiam & effœminationem eunuchorum ſatis teſtari, teſtes propria qualitate & ſemen conficere, ſanguinemque pro mutandis moribus inficere; reſpondeo Eunuchos noſtram confirmare ſententiam; nam illi, qui ſuperfluum alimentum in ſuam non convertunt ſubſtantiam, & impinguefiunt, ſatis acri veneris agitantur ſtimulo, adeo ut etiam puellas audeant in uxores vel concubinas aſſumere, qui ſtimulus in illis non producitur a qualitate teſtium ſemini vel ſanguini impreſſa, ſed a ſuperfluis alimenti particulis, quæ cum ob impedimenta quædam corpori agglutinari nequeunt, circulantur in ſanguine, & ad majorem volatilitatem rediguntur, quæ Eunuchis coëundi deſiderium excitant.

Dico tertio, chacoëticam primam corporis noſtri materiam & motum ipſi in palæſtra amoris impreſſum ſufficere ad omnia microcoſmi phœnomena explicanda, quo motu prima omnium partium rudimenta juſto loco & ordine collocentur, nam ut recte homo dicitur microcoſmus, ita non ſine ratione ſupponitur tria quoque dari proportionaliter in ipſo elementa ex motu in actu amoris materiæ ſeminali impreſſo neceſſario reſultantia, nam con-

conſiderandum ſubtilioris fluidi humani particulas, quas Medici vocant ſpiritus, non certis & determinatis confici coctionibus, ſed illos oriri ex continuo ſanguinis humorum & vaporum motu, quo particulæ mutuo ſibi occurſu atteruntur, quarum quædam neceſſario in tantas rediguntur minutias, ut non diutius intra proprios larium cancellos poſſunt contineri, vaſorum poros tranſeunt, & in cavitates corporis illabuntur ad ſpatiola ab irregularibus vaporum tranſpirantium particulis, quæ aeri macrocoſmi reſpondent, continuo exhalantibus derelicta occupanda, dum autem hæ irregulares eminentiæ continuo abraduntur, neceſſario quædam particulæ debent fieri ſphæricæ, quæ intra aeris microcoſmi ſpatia diffuſæ illas irradiationes efficiunt, de qua tam multi auctores ſcribunt, & quæ globulis æthereis megalocoſmi reſpondent, & in microcoſmo non male globuli vitales appellantur, quos Medici vocant ſpiritus vitales, & ſecundum hominis conſtituunt elementum, quarum ramenta utpote ſubtiliora cum materia ſubtili univerſi magis conveniunt, quæ in Schola Medica ſpiritus animales dicuntur, primum microcoſmi conſtituentes elementum, qui globuli vitales non ſolum continentur in arteriis, ſed per univerſa vaporum tranſpirantium ſpatia ſunt diffuſi ſecundum lineas rectas, quorum ſpatiola occupantur a ſpiritibus animalibus ex

ramentis vitalium enatis, quorum beneficio motus idææ in cerebro conceptæ eo tempore, quo animalia matureſcunt veneri, defertur ad teſtes ad ſeminis particulas in illis contentas imprimendas tales figuras quales idææ habent, vel illas conſervandas, vel perficiendas, quas acceperunt, in ſingulis partibus, in quibus ad dictarum partium converſionem in nutritionis actu adaptabantur, in qua motuum delatione conſiſtit iſta irradiatio, quæ a multis ab omnibus & ſingulis partium in corpore punctis fieri aſſeritur: qui globuli vitales ex minimis arteriolarum in ſingulis partibus oſtiolis egreſſæ motus ſuos continuant, per illa loca, in quibus motus ſibi minus adverſantes repererunt, quem ordinem ſervat ſubtiliſſima hominis materia, ſive ſpiritus animales, qui in cerebro ſtationem faciunt, unde non ſolum ex diverſa objectorum tam internorum quam externorum determinatione tranſmittuntur per nervos ad varias partes, verum etiam continua cerebri elevationis & depreſſionis reciprocatione, alternam cordis, & arteriarum expanſionem & contractionem inſequente, continuo expelluntur per univerſos corporum receſſus ad motum globulis vitalibus, lymphæ, ſanguini, aliiſque fluidis reſtituendum, quem in actione perdiderunt, vel ab externa cauſa amiſerunt; in corpore vere humano hæc duo diverſa ſubtilium corpuſculorum dari genera, a

que-

quorum recta conſtitutione & motu vitales præcipue dependent nutus, etiam extra vaſa, ſatis evidenter probat, quod obſervemus, infantes non poſſe immediate poſt partum abſolvere motus progreſſivos æque ac imperfectiora animalia & inſecta, nam ſi omnes corporis humani motus immediate ducerentur in actum a particulis primi vel ſecundi elementi magni Mundi, non apparet ratio, quare minus infantes recens in lucem editi currerent, quam pulli, quare infantes non tam bene loquerentur ac adulti &c. craſſiores vero ſeminis particulas, figuriſque ad motum minus aptis præditas pro tertio poſſe annumerari corporis humani elemento, nam ſi accuratum ſeminis velimus inſtituere examen non ſolum ſenſibilis ejus ſecundum ſe conſideranda eſt ſubſtantia, vel ejus ſpiritus in genere, quem pro portione elemento ſtellarum reſpondere docet *Ariſtoteles*, ſed illa rationis novacula in minimas particulas dividenda, tunc facile intelligemus, ejus ſpiritum conſiſtere in duplici ſubtilium corpuſculorum genere, quæ intra penitiores ſeminales ſubſtantiæ receſſus non modo ſemper hoſpitantur, ſed etiam quæ in ipſo amoris amplexu transfunduntur, unde graviſſimi paſſim auctores docent, ſpiritus animales & vitales, qui in voluptatis palæſtra imprimuntur ſemini, præcipuam ejus conſtituere partem, qui paulatim increſcunt ex eo, quod globuli vitales

aſſi-

assiduo motu se invicem magis ac magis atte-
rant, unde major exsurgit quantitas, quam
requiritur ad exigua illa implenda spatia, quæ
inter globulos vitales in genitura sibi mutuo in-
cumbentes reperiuntur, quidquid ex ea resi-
duum est ad centrũ brillæ humanæ sive humo-
ris crystallini intra seminis corpulentiam con-
tenti confluit, ubi suum moderatur motum,
quem primo communicat istis particulis, quæ
maxime ad sanguinis accedunt naturam, &
punctum saliens constituit, ex quo reliqui mo-
tus describuntur secundum lineas partium in
brilla crystallina delineatas: unde sive cum *Pla-*
tone doceamus, semen esse medullæ spinalis
defluxum, sive cum *Hippocrate*, illud e cere-
bro in lumbos & spinæ medullam diffundi, ex
hac in renes, indeque ad testes derivari, sive
cum *Alcmæone*, cerebri esse portiunculam,
seu cum *Aristotele*, excrementum tertiæ co-
ctionis sanguine ignobilius, seu cum *Avicenna*,
procedere e cerebro, corde & hepate, sive
cum aliis, a solidis partibus decidere in mino-
res venas, ex iis in majores ascendere & roris
instar reliquis humoribus innatare, sive cum
Glissonio, *Charletone*, & *Warthone*, mate-
riam seminis esse chylosum quendam crudio-
rem liquorem, seu cum *Bilsio*, & *Clemente Xyloe*
tradamus, semen ex humore lymphatico gene-
rari, sive cum *Hieronymo Barbato*, semen ex
sevo originem trahere, sive cum præcipuis hu-
jus

jus ſæculi Anatomicis, ex ſanguine per vaſa ſpermatica ad teſtes fluente oriri, illa equidem ſubſtantia, quæ ſeminis conſtituit corpus, quocunque baptizetur nomine mentis acie in minimas dividenda eſt particulas, in quibus ſingulis conſideranda figura, magnitudo, forma iſtius partis in corpore, cujus rudem delineationem complectitur, ſi accuratum velimus de Natura ſeminis habere conceptum: & deprehendemus, omnes diverſas haſce opiniones aliquid veri complecti eaſque facile conciliari poſſe, nam cum ſemen ſit univerſalis particularum non modo partium ſolidarum, ſed etiam humorum congeries, neceſſario etiam de omnibus iſtis participat; quapropter veteres a recentioribus non tantas merentur invectivas, ac ſi toto erraſſent cælo, nam hæc opinionum diverſitas ex infelici Anatomicorum naſcitur fortuna, quod necdum tam dextras habuerint manus, quibus demonſtrare potuerunt manifeſtos ductus, & vias, per quas aliquis humor in teſtes derivetur, & quia humor, qui in illis reperitur, hactenus magis ſenſu quam ratione examinatus eſt, & creditum, illum præcipuam ſuam perfectionem in ordine ad novi corporis procreationem in teſtibus nanciſci, cujus contrarium ſuperius probare incepimus, nam dum perfecta ſeminis elaboratio præciſe conſiſtat in hoc, quod veram omnium partium delineationem contineat, vero

vero ſimilius eſt, quod particulæ ſanguinis dum adhuc ſunt ſub continuo circulationis motu, non ſolum a ſuis purgentur impuritatibus, quæ obſtant, quo minus poſſunt convertin ſubſtantiam viventem, ſed etiam per continuam in ſingulis partibus cribrationem a iiſdem ſimilem quoad ſubſtantiam, figuram magnitudinem, motus vel quietis determinationem idæam ſuſcipiant, quam quod illæ elaboratione teſtium acquirant, nam cum illorum ſubſtantia nec materialiter, nec formaliter contineat ſubſtantiam cordis, hepatis, carnis offis &c. quomodo illam particulis ſanguinis in ipſos tranſmiſſis tribuet? nemo enim de alieno liberalis eſſe poteſt, quapropter meo judicio multiplicat entia ſine neceſſitate, qui ad ſanguinis in ſemen converſionem explicandam concurrit ad ſpecialem aliquam coctionem beneficii teſtium abſolvendam, nam ſufficit mera ſeparatio particularum jam ultimam perfectionem adeptarum ad converſionem in ſingularum partium ſubſtantiam a reliqua maſſa ſanguinea, cum qua continuo circulationis motu per univerſi corporis vaſa pelluntur; vix enim conceptibile eſt, quomodo illæ ſanguinis particulæ, quæ maxime conveniunt cum ſubſtantia v. g. cordis, in teſtibus accipient majorem ſimilitudinem, ut eo perfectius in cor efformentur, & quomodo aliæ ſanguinis particulæ, quæ magis conveniunt cum ſubſtantia offium cerebri, re-

num,

num, inteſtinorum &c. perfectionem ſecundum eorum naturam proportionatam accipient ab iiſdem numero teſtibus eodem modo agentibus, nam nullum exſtat fide dignum exemplum in naturalibus ac artificialibus quod Natura, vel idem artifex ex eadem materia per eadem inſtrumenta, eodemque agendi modo diverſos produxerit effectus, multo minus id fiet ex diverſa materia, nam licet ſanguinis particulæ ſecundum ſenſum appareant eædem, revera tamen juxta aliquas proprietates diverſæ ſunt, quas acceperunt in ſingulis partibus, dum adhuc verſabantur ſub nutritionis motu, nam particulæ materiæ nutritionis, ut antea docuimus, phyſica ſubſtantia non differunt a particulis materiæ generationis, quapropter ut ſemen convertatur in embryonem, non videtur alio indigere ſubſidio, quam motu vitali, quo particulæ ſeminis in teſtibus aliquo modo confuſæ in juſtum ordinem & ſitum diſponantur, & moveantur ad formam partium conſtituendam, quarum delineationes continent, quam vitæ ſuſcipiendæ aptitudinem habuerunt, antequam in teſtibus reconditæ fuerunt, nam cum ſanguine circulantes poterant converti in ſubſtantiam viventem earundem partium ejuſdem corporis, in quas jam ſub forma ſeminis in alio corpore convertuntur, hoc ſolo diſcrimine, quod in hoc caſu motus determinetur ad productionem novi individui, in illo ad con-

conſervationem ejuſdem individui, in quo illum motum vitalem, vel proximam ad vitam diſpoſitionem ſuſceperunt: ſic ut ad hoc generationis opus perficiendum iſtis particulis nihil deſit, quam quod in talia recondantur receptacula, in quibus virtutem & motum vitalem vel ſaltem aptitudinem ad illum motum in tempus opportunum reſervare poſſunt: non enim avulſis arborum ſurculis, terræ ad novæ plantæ productionem inſitis, major vis ac efficacia infunditur, quam habebant, cum iiſdem arboribus eſſent continui; nec ſemina plantarum majorem acquirunt virtutem a capſulis, in quibus colliguntur, quam ante eorum formationem habuerunt: adeoque ſemen nil aliud eſt, quam ſuperfluum illius ſanguinis, qui cum jam perfectiſſime elaboratus eſſet, aptusque, ut actu nutritionis in viventem abiret partem, non tranſit tamen, ſed mittitur ad organa generationis, ut extrinſecus aliam induit formam, quod expreſſis verbis etiam docet *Avicenna* de Animal. lib. 3. cap. 3. *ſperma eſt res habilitata ad tranſeundum in membra, & cum exit, aufertur univerſale nutrimentum.* Galenus 2. Sem. docet, *ſemen nil aliud* eſſe, *quam ſanguinem in vaſis ſuis exquiſite coctum.* Sic ut officium teſtium nil aliud ſit, quam quod particulas ſanguinis bene purificatas, & ſpiritu vitali infuſas, propriaque figura in ſingulis partibus adaptatas in opportunam generandi occaſionem con-

conſervent, easque a particulis lymphæ liberent, ut craſſiorem obtineantformam, ſub qua non modo earum virtus durabilior eſt, ſed etiam evadunt aptiores ad ſuſcipiendum motum projectionis in uterum in viris neceſſarium, quæ eſt ratio, quod ſemen maſculinum fæmineo craſſius eſſe debeat; quæ viſcoſa ſeminis craſſities ignem vitalem ex collectis ſubtiliſſimæ materiæ particulis in actu amoris mediante ſpirituum animalium transfuſione accenſum intra penitiores ſui receſſus concluſum retinet; nam dum Hippocrates docet, ſemen continere omnium partium idæas, id eſt accuratas quamvis inviſibiles delineationes, neceſſario etiam debent concipi ſubtiliſſimi ductus, per quos inter inſenſibiles idæas poteſt fieri communicatio, qua ratione clare & diſtincte poſſumus percipere, quomodo primitivæ ſeminis particulæ ſpirituum transfuſione in copula, uteriquæ agitationis incaleſcentia in ſanguinem convertantur, quæ in eo converſæ particulæ ob receptam fluxibilitatem arctius ſe mutuo incumbentes anguſtiores ſibi parant poros, quos ſola ſubtiliſſima Univerſi materia intrare poteſt, quæ ibidem agitationem ignis acquirentes globulos vitales, ſubtilioremque microcoſmi materiam ibidem actuant, cujus beneficio reliquæ craſſiores ſeminis particulæ in ſanguinem convertuntur, cujus ſubtiliores primæ particulæ mediante eodem motu per dictos ſubtiliſſimos ca-

naliculos in meditullium istarum idæarum deferuntur, unde earum extensio, incrementum & conformatio sensim sine sensu perficitur, & tandem novem mensium spatio partus excluditur, quæ cælestis materiæ tam secundi quam primi elementi actuatio toto tempore vitæ continuatur per respirationem cum materia primi & secundi elementi corporis humani, nam continua pulmonum actione excussa illa subtilis materia in sanguinem impellitur, qui tali ratione vivificatus totius œconomiæ regimen moderatur; adeo ut semen a testibus suam perfectionem non adipiscatur; nam si in testibus foret facultas sanguinem appulsum perficiendi, cur in pueris & senibus tamdiu otiosa est, & nos non citius ex illo innocentiæ statu eximit, cum sanguinis circulatio æque fiat in his ac in adultis, nec tam indiscreta erit aliarum partium avarities, ut testibus nihil omnino concedant elaborandum, ubi tamen cætera organa chylificationis & sanguificationis in pueris æque publico ac privato munere perfungantur.

Ex quibus evidenter constat, quod clare & distincte possimus concipere, quod particulæ sanguinis e propriis singularum partium laribus remissæ ad cor illo tempore, quo corpus suum magnitudinis attigit terminum, capillarium arteriolarum ostiolis egressæ, & in penitioris partium singularium penates admissæ, ibidemque naturalem quoad figuras, magnitudines, mo-

motus, temperiem adeptæ in poriſque ſuis proprio fluido perfuſæ, tandem beneficio circulantis ſanguinis in teſtes illabantur, in quibus, ſi quid figuræ, magnitudinis vel motus omiſerint, de novo figurentur & adaptentur a motu ab idæa partis determinatæ in cerebro excitato, & per globulos vitales intermedios ad teſtes delato.

CONCLUSIO. Semen humanum ſunt particulæ ſanguinis ultimam in dictis qualitatibus ad nutritionem ſuſcipiendam elaborationem adeptæ beneficio cordis & ſingularum partium, cujus idæam continent, & ex arteriis præparantibus in vaſcula ſeminalia tranſmiſſæ, in quibus per longiſſimos tubulos ab aqueis liberatæ particulis, in opportunum generandi uſum reſervantur, & tamdiu in ſtatu illo fixionis conſervantur, donec in actuali copula ad ſtatum fuſionis reducantur.

CAPUT VI.

De Semine Maſculino.

IMperſcrutabilis humani corporis Architectus non ſine prægnanti ratione hominem diviſit ſexu, unde merito Papa *Innocentius* III heterodoxeos condemnavit docentes, quod, ſi Adam non peccaſſet, nullum in humana natura fuiſſet ſexus diſcrimen, quem in Regno

vegetabili æque ac animali inveniri asserunt *Plinius*, *Dioscorides*, *Theophrastus*, & plurimi non solum omnibus herbis, plantis, sed etiam lapidibus, & metallis sexum adscribunt. Imo Ægyptii vel ipsis zodiaci signis delinearunt sexum, autumantes nullam in mundo sublunari fieri generationem, si non illorum genialium spirituum in ipsis foret conjunctio. Verum quidquid de illis sit, in medium relinquimus; Natura nimis evidenter voluit, hominem membris genitalibus distingui, mutuoque maris & fæminæ complexu speciem propagari; verumenimvero sicut hæc suavis & amica copula ipsa certitudine est certior, ita in incertum fluctuant doctorum ingenia, quale unicuique in tam dulci lucta sit officium, & quid præcise semen masculinum, quid fæminarum conceptioni & generationi conferat. Verum quidem est, semen masculinum differre a fæmineno ratione caloris, siccitatis, & roboris ad continuandum motum juxta temperamentum viri, nam accessorium æque in naturæ codice sequitur naturam sui principalis ac in jure civili, ratione quarum qualitatum non modo graviorem producit in viris vocem, sed etiam continet in se rudimentum barbæ, & virilium genitalium.

Semen masculinum triplex non agnoscimus, quasi in diversis organorum generationis partibus, utpote testibus, vesiculis seminariis,

& proſtatis materia ſeminalis perfectius & perfectius excoqueretur, quia nullam coctionem in illis partibus admittimus, quæ ad eſſentialem & internam ſeminis conſtitutionem conferre poteſt, ſed duplex poſſet ſtatui ſemen, germinoſum ſcil. quod e teſtibus per paraſtatas, vaſa deferentia, & veſiculas ſeminarias gemino foramine ejaculatur in urethram, quod rudem omnium partium ſine confuſione delineationem continet, lacteum alterum, ſive alimentoſum, quod ex proſtatis per proprios ductus plurimis foraminibus ſe eodem amoris actu in urethram exonerat. Aliquam in his humoribus eſſe differentiam jam dudum annotavit Galenus, qui *lib.* 14. *de uſ. part. cap.* 9. *de ſem.* docet, *in proſtatis humorem ſimilem ſemini contineri, ſed tenuiorem*; qui meo judicio proculdubio cedit in primum embryonis alimentum, juxta illud tritum, *ſex in lacte dies*: ex quo principio varia, quæ circa generationis obſervantur, phænomena explicari poſſunt, quare tot irritæ fiant copulæ, nam utrumque ſemen germinoſum & alimentoſum, eodem amplexus actu ſufficienter effundi, rarum eſt, quia per diverſas vias exoneranda ſunt. Item ratio fæcunditatis & ſterilitatis tam ex parte maris, quam ex parte fæminæ, & ejuſmodi alia.

Quid vero ſemen maſculinum præciſe ſemini conferat fæmineo, necdum determinatum eſt; ut in hac difficili & abſtruſa materia, quam

plerique reliquerunt intactam vel tantum ſolis verbis & terminis generalibus explicuerunt, aliquid probabile in medium adferamus, & doctorum ſubiiciamus examini, judicamus ſemen maſculinum triplex præſtare officium & uſum ſemini muliebri.

Primo aſſerimus, quasdam ſeminis maſculini particulas illas ſpermatis muliebris particulas, quæ proxime ad ſanguinis accedunt naturam, in ſanguinem, primam corporis noſtri genitalem particulam, convertere, primumque illud punctum ſaliens conſtituere, nam ſeminis fæminini particulæ, utpote figuræ oblongioris, taleſque habentes poros, ut in iis non niſi lenis excitari poteſt calor, humiditate, & blando calore majorem ad ſanguinem habent diſpoſitionem, in quem facile tranſeunt, ſi virilis roris contactu aſpergantur, quæ prima genitalis particula omnium primo neceſſario efformanda eſt, antequam reliquorum ulla fiat delineationis in ſemine delitescentis extenſio; nam hujus particulæ tanquam primi mobilis Microcoſmi motu & beneficio cætera deſcribenda ſunt, ſine qua converſione nunquam fit conceptus, quam metamorphoſin virile ſemen in propriis, ut neque muliebre, nequit abſolvere particulis, cum nihil agat in ſe ipſum, ſed viciſſim illæ ſeminis maſculini particulæ, quæ ſua temperie ſunt ſanguini proximiores, a ſemine fæmineo ad ſanguinem reducuntur, qui blan-

blando uteri calore, æque ac ſanguis in vaſis, fluidus converſatur & fovetur, quæ vera videtur reactione ſeminis muliebris in virile, ſine qua actione & reactione impoſſibilis eſt conceptus, hinc fit, quod nec vir, nec mulier in ſeipſis poſſint concipere, licet utriuſque ſemen virtute ſeminali fæcundum omnium partium rudimenta contineat.

Secundo, efficacior particularum ſeminis maſculini motus excitat debiliorem particularum ſeminis muliebris motum, qui virili impetu ſuſceptus & confirmatus omnes motus a Natura in generationis opere præſcriptos ſubire & perficere poteſt, nam dum ſeminis maſculini particulæ ſolidiores ſunt, etiam diutius motum in actu amoris impreſſum continuare poſſunt.

Tertio, ſeminis maſculini particulæ, utpote viſcoſiores, & tenaciores aquoſas & tenues ſeminis fæminini particulas moderata craſſitie & ſpiſſitudine obducit, ne literæ Naturæ humanæ in illo deſcriptæ tam cito diffluant, ut characteres in mari etiam ſtilo ferreo impreſſi, adeo ut ſemen maſculinum ad generationem concurrat non modo ut principium activum, ſed etiam ut paſſivum & materiale.

Quarto, poſſet addi, quod in virili corpore prima fieret externa embryonis circumſcriptio per urethræ foramina, per quæ tam ſemen germinoſum quam lacteum in uterum ejacula-

tur, ut videmus in machinis hydraulicis varias figuras repræsentari, aquis impetuose e scaturigine per certa foramina erumpentibus.

CONCLUSIO. Semen masculinum est semen humanum totius hominis compendium continens in virili corpore generatum eo fine ut aliquas seminis fœminini particulas in sanguinem convertat, ejusque motum languidum excitet ad prima vitæ stamina in ejus corpore delineata & in uteri thalamum concepta juste extendenda in embryonis formam.

CAPUT VII.

De Semine fœminino.

PLurimi tanto fervore defendunt *Aristotelem*, docentem semen muliebre nil aliud esse, quam sanguinem menstruum, ac si pro aris & focis certarent, ubi tamen ipse Philosophus maluit in dubio relinquere, quam temere jactare erronea, constat enim ipsi talem fuisse consuetudinem, ut in iis, in quibus sensuum deficiebat fides, se in affirmando vel negando difficilem præberet; attamen ubi autopsia deest, a ratione exordium capiendum est, nam intellectui clara neutiquam orbe literario excludenda, sed potius addenda, ut, sicubi deficiat sensus, habeamus, ubi pedem figa-

figamus; cum ergo evidens sit, sanguinem extra vasa effusum concrescere, superstitiose magis quam religiose ad inanem aliquam Deam tutelarem confugimus, quæ sanguinem in uteri area arceat a congelatione; ubi oscula vasorum in collo uteri desinentium sufficiant, ad menstruum extra corporis pomæria expellendum: deinde accurata abortuum observatio docet, placentam cum vasis umbilicalibus non ab utero primam ducere originem, sed ab ipso semine, nam conceptione jam facta, & membranis circumtensis prius in exteriori membranarum superficie lanuginosa quædam hujus hepatis delineamenta ex semine formata adnascuntur, & deinde post longum satis temporis intervallum vasorum umbilicalium extremitates versus hepar uterinum extenduntur, per quæ sanguinis materni fit transfusio, quomodo ergo in ipsa conceptione poterit esse seminis cum sanguine communicatio? imo talis, ut spiritus seminis architectonicus e sanguine omnes embryones efformet; Quid multis? ipsa partium genitalium muliebrium efformatio fœminarum demonstrat semen muliebre dari, nam cum virile sperma non complectatur rudimenta organorum muliebrium generationi dicatorum, ex illo fœminarum verenda estingui nequeunt, nemo enim alteri dare potest, quod ipse non habet, nam genitalia muliebria a masculinis specie distincta esse, docet

autopsia: frustra enim multi se fatigant in defendendo *Galeno*, qui illa tantum situ ob frigidiorem mulieris temperiem differre docet: unde quæso hæc caloris diversitas, quando eadem uxor ex eodem marito uno anno masculam prolem, altero fœmininam, vel utramque simul excludit: cum ergo in sexu muliebri sit forma hominis perfecta, & omnibus numeris absoluta, nulla ratio semen earum destruet, quod sensus adstruit. Semen ergo muliebre æque ac masculinum totius hominis compendium continet, nam eandem generationis materiam, & tempus agnoscit: quid vero præcise ad embryonis productionem conferat, ulterius examinandum restat.

Dicimus ergo primo semen muliebre sequi temperamentum corporis, unde desumptum est, adeoque minus obtinere caloris & roboris, quam virile, & esse multo tenuius, ac aquosius, propter majorem particularum figuræ oblongioris copiam, attamen æque ac semen masculinum omnium partium corporis fœminini rudimenta, & virtutem seminalem complectitur, quod confirmat nostram opinionem, delineationes partium in semine non testium coctione perfici, nam cum partium rudimenta in semine muliebri minus cocto æque perfecte contineantur ac in virili magis cocto, evidens est, partium delineationes aliunde in seminis materiam imprimi, quam testium coctione,

ctione. Differt autem præcipue fœmininum ſemen a maſculino, quod perfectiora partium genitalium muliebrium & mammarum rudimenta in ſe complectatur, & quod ob humidam temperiem magis ad fermentationem ſuſcipiendam idoneum ſit, hinc etiam ob calorem minus firmum & ſtabilem menſtrua producit.

Secundo, in actu generationis illum uſum præſtat, quod ſua reactione etiam quaſdam ſeminis maſculini particulas in ſanguinem convertat.

Tertio, particulis ſuis oblongis acuminatas ſeminis maſculini particulas obvolvit, eaſque diſſolvit ac ad faciliorem fermentationis ſuſceptionem diſponit, qua quædam particulæ in ſemine contentæ minus ad hujus vel illius partis efformationem idoneæ ſegregentur, & homogeneæ congregentur, adeo ut v. gr. particulæ cordis, hepatis, cerebri, oſſium in utroque ſemine contentæ conjungantur, in quorum combinatione ſi particulæ ſeminis fœminini prævaleant copia, etiam fœtus maſculinus moribus mollioribus & effœminatus erit, e contra proles fœminina magis ad virilem accedet naturam, ſi maſculini ſeminis particulæ in prima partium coadunatione fœmininas ſuperent.

CONCLUSIO. Semen fœmininum eſt ſemen humanum omnium partium ſexus ſui rudi-

rudimenta continens, aptum ad aliquas ſeminis maſculini particulas in ſanguinem convertendum, & humiditate ſua ſicciorem ſeminis maſculini temperiem corrigendo virile ſperma diſponendum ad faciliorem fermentationis ſuſceptionem, qua particulæ homogeneæ ſingularum partium ab heterogeneis ſeparentur.

CAPUT VIII.

De Genitura ſive ovis humanis.

VEteres genituram ſive conceptum quoad externam figuram ovo comparaſſe, cuivis notum eſt: *Quæ intra ſe pariunt animal, in iis quodammodo poſt primum conceptum oviforme quiddam efficitur.* Ariſt. *lib.* 3. *de gen. animal. cap.* 9. Verum Recentiores jam acriter contendunt, mulierum teſtes eſſe ovarium, in quibus vera ova humana reperiri volunt, ut figuris ſuis demonſtrant; in quarum adumbratione & explicatione diverſi diverſa tradunt, adeo ut in hac difficili materia optime quadrat, quod ſedulus curioſorum inveſtigator ſwammerdammius in ſuo naturæ miraculo de ſe ipſo dicit. *Quid alii velint, aut ipſe ſuſpicando harioletur, id me non tangit; & ut quod ſentio, ingenue eloquar, jam tum edico, me in rebus anatomicis nemini, & vix*

ac

ac vix quidem ipſis meis oculis credere; nec eſt quiſquam cui in rebus, quæ experimentis innituntur, & in quibus explorandis aliquam mihi facultatem attribuo, cæcum aſſenſum præbere velim. Uſque adeo fallax magiſter eſt minus circumſpecte captum experimentum; quapropter rei gravitate motus judicium potius ſuſpendere, quam temere determinare malo, donec certiora & evidentiora experimenta omnes ſcrupulos e mente noſtra ſuſtulerint; verumenimvero quidquid de rei veritate ſit, apud me certa conſtat ſententia, illum humorem, in quo totius hominis volunt contineri compendium, propria membrana in teſtibus concluſum male vocari ovum, quia ovum non ſolummodo univerſa animalis continet membra, ſed etiam ſufficiens alimentum intra eandem membranam, quo prima animalis ſtamina in juſtam quantitatem extenduntur, & debitam dicti animalis formam adaugentur, ut partui vel excluſioni matura ſint, nam qui diſtinctionem inter ovipara & vivipara tollit, ille animalia iſta quæ natura evidenter diſcreta eſſe voluit confundere videtur, male autem concluditur, humorem illum membrana concluſum eſſe ovum, quia calore concreſcit, idem enim obſervamus in lympha, aliiſque liquoribus; ut ingenue animum aperiam de his, quæ circa inſpectionem ovorum tam propriis quam aliorum oculis videre licuit, non modo

modo obſcurus ille motus, quo ovum in ovario humano concluſum in uterum propellatur, cum apertura tubæ trium ferme digitorum latitudine ab ovario diſtet, me retinet, quo minus illis calculum meum adjiciam, ſed quia etiam in uteri area non invenio medium, quod ejaculatum maſculinum ſemen verſus laterales tubas determinet, cum omnis motus ex natura rectus ſit, & in recto curſu maneat, donec a fortiori aliorſum determinetur; dum ergo recta ducietur linea ab uteri orificio, per quod in actu amoris ejaculatur ſemen, ad ejus fundum, nulla ratio mihi demonſtrat cauſam, quæ rectum ſeminis maſculini motum inflectit verſus laterales tubas, multo minus, quæ ſpiritum femineo concluſum corpore ſegreget, ut relicta quaſi corporulentia in utero ſemen muliebre ſive ova ut ajunt in teſtibus impleat; quapropter hactenus acquieſcimus, donec certior detur experientia, judicando, quod in actu amoris per fimbrias in extremitate tubarum ſemen muliebre humoris & non inſtar ovi ex earum teſtibus, e multis veſiculis glanduloſis, plurimis vaſculis ſeminalibus pertextis coagmentatis, exprimatur & in uterum per tubam propellatur, quam internam quaſi ejaculationem fœminæ in palæſtra voluptatis cum voluptate percipiunt; hanc vero ſeminis muliebris portionem, in actu amoris fimbriarum tubæ e teſtibus emulctam magis eſſe germino-

minoſam, ſive in illa veroſimilius hominis contineri compendium, reliquias vero, quæ per alias vias partium genitalium ingrediuntur in uterum, eſſe magis alimentoſas, vel ad excitandam libidinem profundi, probabile videtur: nam ſi illa ſubſtantia ſeminalis verum foret ovum, nulla apparet ratio quare fœmina etiam aliquot annos defunctum poſt maritum non poſſet partu excludere prolem, nam ova ſpiritu ſeminis maſculini imprægnata poterunt per annos morari in ovario ſive mulierum teſtibus antequam illis excludantur in uterum, ut in illius fotu in perfectum fœtum efformentur; de quo nullum exſtat exemplum; quapropter prudenter *Michael Rupertus Beſlerus* in ſua uteri delineatione membranulis iſtis, in quibus continetur ſemen, non ovorum nomen, ſed glandularum ſive veſicularum ſemen prolificum complectentium indidit; quæ obiter annotaſſe ſufficiat, dum integram generationis hiſtoriam tradere, vel ad particularia ſeminis problemata deſcendere non eſt animus, quia omnium auctorum ſuffragio traditur, ad conceptionem utriuſque ſeminis requiri complicationem, ſive aliqui illam per corporalem, alii per ſpirituoſam ſubſtantiam, illi in utero, hi in teſtibus unionem fieri explicent. Admiratione equidem dignum, quod hactenus omnes Auctores præcipuam difficultatem reliquerint intactam, quale ſit illud principium, quod

quod in genitura producit motum, eumque determinat ad particulas in ipsa contentas in corpus organizatum & vivum efformandas, cum motus particularum seminis utriusque sexus seorsim in proprio corpore non sufficiat in ordine ad organizationem; ad hujus nodi solutionem judicamus esse ipsissimum motum in copula amoris per intermedios spiritus semini impressum, ejusque determinationem ab idæa generationis eo tempore in cerebro efficaciter excitata factam, quo subtilissimæ materiæ excluditur in genituram in utero conceptam portio, quæ primarius reliquorum motuum & actionum est auctor, illumque motum non solum procedere a corpore virili, sed etiam muliebri, nam mas & fœmina Veneri litaturi se prævia libidine ad ejus sacra præparant, qui sibi mutuo per aspectus, basia, amplexus, aliosve contactus generandi denuntiant intentum, qui motus libidinosi idæas prolium excitant etiam ipsis non animadvertentibus parentibus, & sanguinem & spiritus ad partes genitales transmittunt, ex quibus sanguine & spiritibus turgidis dicti spiritus tam vitales quam animales exprimuntur, & semini utriusque sexus seorsim imprimuntur, ea tamen proportione, ut motus e corpore virili proveniens sit longe efficacior & vehementior, qui languidum seminis muliebris motum actuet, & excitet, cujus motus beneficio fixæ seminis particulæ ad

ſtatum fuſionis reducuntur, qui motus in ſpiritibus ſeminalis utriuſque ſexus materiæ conjuncti tales producunt poros in genitura, ejuſque meatus propter mutuam diverſæ ſubſtantiæ ſe mutuo intime amplectentis commixtionem ita anguſtantur, ut ſpiritus vitales & animales cum globulis vitalibus illos ſubire nequeant, qui ab illis relicti ſola materia primi elementi macrocoſmi circumdantur, a qua celerrime moti ignis agitationem acquirunt, & quaſi vivificum excitant ignem, qui primo illas ſeminum particulas, quæ minus a ſanguinis receſſerunt natura & conditione, quaſi in vitæ fornace fundit, liquat, & in ſanguinem rurſus reſolvit, qui ſanguis primam corporis noſtri particulam genitalem, & punctum illud ſaliens in bulla criſtallina conſtituit, qui motus a continua matris irradiatione ab idæis per aſſiduam quaſi imaginationem facta continuatur, & determinatur ad has illaſve particulas ordine ſuo diſponendas, quæ matris imaginatio, ſi plus verſetur circa propriam quam viri formam, plurimum facit ad ſexus diſtinctionem in genitura introducendam, cujus etiam ſubtilis ætheris intercurrentis beneficio ſuccedaneus ſubſequitur motus in prima fætus formatione, qui nec recte fermentatio aut efferveſcentia dicitur, ſed motus quidam inteſtinus proprius, quo ſingula ſingulorum viſcerum ſtamina cum ſuis homogeneis particulis

ut quidam vortices ad propria centra ſenſim propelluntur, & ex affluente ſanguine neceſſario extenduntur, nam cum in ſanguine e ſemine genito æque cujuſcunque partis dantur particulæ, ac in ſanguine, qui chylo ſuam originem debet, particulæ ſanguinis, quæ figura particularum cordis gaudent, dum circulantur, non alio viſceri propter figuræ inconvenientiam, quam ipſi cordi adhærere, & tandem intexi poſſunt; quibus facile fidem adhibebit, qui conſiderat ejuſdem motus beneficio jam particulas carnis modo eſſe extricatas a particulis ſeminis, quæ oſſis continent idæam, quibus erant implexæ, & ſic de cæteris, ita ut quælibet cujuſvis ordinis particulæ libere in bulla criſtallina fluitantes commodius mediante puncti ſalientis motu ad propria viſcerum centra amandentur, propriiſque partibus infigantur: qualis partium delineatio etiam in minima genituræ particula ſine confuſione continetur, eodem modo, quo imago hominis in ſpeculo parvo ac in magno, in loco viciniori, vel remotiori ſpectantibus offertur, nam ſicut clare & diſtincte percipimus in nigro illo puncto, quod ſe in ranarum ovis exhibet, ipſum ranunculum omnibus partibus ſuis abſolutum contineri, ita etiam poſſumus habere clarum & diſtinctum conceptum, quod etiam in minima genituræ bulla integra hominis contineatur delineatio ſine aliqua confuſione

ſione, ſimili modo quo etiam maxima corpora in minima forma in ſpeculis macroſcopiis exhibentur; adeo ut judicemus virtutem hominis plaſmaticam in impreſſione dicti motus, a ſubtiliſſimo æthere producti cum ſpirituum transfuſione, ejuſque determinatione ab idæis generationis in cerebro continuo præſentibus conſiſtere.

CONCLUSIO. Genitura non modo improprie ſed etiam male baptizatur nomine ovi, quia non continet intra ſe ſufficiens alimentum pro efformatione fœtus, ut & teſtes muliebres nomine *OVARII*; non enim hanc impropriam appellationem convincunt Hiſtoriæ *Riolani*, modo veræ ſint, nam licet fœtus quandoque mortui in tubis fallopianis poſt ſectionem cadaveris matris inventi ſunt, non ſequitur illam conceptionem in teſtibus muliebribus, vel tubis fuiſſe factam; nam uterus motu periſtaltico ſe contrahens poteſt etiam fœtum in ipſo conceptum ſurſus verſus tubas propellere, ut multæ hiſtoriæ teſtantur, naturam quandoque fœtus mortuos per abdomen expuliſſe,& etiam artis beneficio extractos, male tamen concluderemus, illam conceptionem factam fuiſſe in abdomine. Genitura, ſalvo meliori judicio, apte dividitur in *particulas germinoſas*, & *lacteas*, ſive alimentoſas, quæ primum embryoni alimentum ſuppeditant.

CAPUT IX.

De Circulari Seminis in ſanguinem regreſſu.

DUm prima proculdubio fronte hæc noſtra de circulari ſeminis in ſanguinem regreſſu opinio multis a ratione aliena viſura ſit, Philoſophi dictum prius celebrari volumus, *arbitrum eſſe oportere, non adverſarium, qui veritatem dijudicare velit.* Nam cum tractatio de generatione hominis eo ſit nobilior reliquis ſpeculationibus phyſicis, quo ipſe homo cæteris præſtantior creaturis, ita ne leviter ſolliciti eſſe debemus de machinis, quibus huc pertrahantur illi, qui homines ſi eſſe neſciunt, ſibique ſoli aſſcribunt ſapientiæ poſſeſſionem, qui ubi deficit ratio, ad duram ſervitutem confugiunt, quæ adeo placet quibuſdam, ut in naturam vel Deum ipſum peccare videantur, qui ultra *Galenum*, vel *Ariſtotelem* pedem promovere audeant, quod tamen jugum a noſtra cervice excuſſerunt illi ipſimet, & exemplo, & præcepto, quod judicarent evidentiſſimum, neminem omnia ſcire, juxta illud tritum Γηρᾴσκειν ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενον.

Semen in ſanguinem reverti, antiqua & vera opinio eſt. Idem *Galenus* innuere videtur, dum *lib.* 1. *de ſemine* §. VI docet, *ipſum ſemen ſanguinis facultatem exhibere. Ariſtoteles*

lib.

lib. de gen. animal. lib. 1. cap. 18. *ſemen ſanguini potentia ſimile eſt*, fruſtra enim eſt potentia, quæ nunquam exit in actum; nullius tamen de ſeminis in ſanguinem recurſu aſſenſum extorquere volumus, niſi ſe ratione & experientia convictum agnoſcat. Magnus *Harveus* ſuffragante experientia docet, in genitura ſive conceptu ſanguinem prius fieri, antequam punctum ſaliens efformetur, cujus neceſſitatem evincit ratio, nam cum particulæ ſeminis, quæ corculi continent idæam, ſint ſolidæ, ut & aliarum partium, neceſſario indigent aliquo fluido, in quo, & a quo illæ cordis particulæ in juſtum diſponantur ordinem, ad quæ munia obeunda non datur in corpore humor aptior ſanguine, qui unicus fomes eſt, in quo potentia conſervandi & redeundi ad vitam conſervatur, ut patet in iſtis animalibus, quæ abſque cordis actione & pulſu per totam vivunt hyemen, imo quorum emortua corcula ſolo ſanguine excalefacto reviviſcunt: quæ primæ ſanguinis particulæ, cum nec in oviparis nec viviparis a matre genituræ conceptæ adferantur, neceſſario quædam ſeminis particulæ debent omnium primo in ſanguinem reverti, qui tanquam lar familiaris œconomiam humanam aggreditur, & admirandam illam dirigit architecturam, ut mens ſecundum Dei imaginem creata, & in tempore infundenda juxta Regiæ ſuæ majeſtatis ſplendorem dignum inveniat ha-

bitaculum; Quod facilius merebitur aſſenſum, ſi conſideremus in ſemine æque ſanguinis ac aliarum partium & humorum rudimenta contineri: quæ multo minus diſtant a ſanguine quam aliarum partium idææ: ſanguinem vero pullis non a matre advehi, etiam ruſticis notum; in viviparis, Anatomicis, qui norunt ſanguinem maternum in embryonem non transfundi, niſi vaſa umbilicalia prius utero implantata ſint, quæ dudum poſt ſanguinem in conceptu apparent: dum ergo omnis ſanguis extra vaſa effuſus concreſcat ilico & corruptelam induat; nec alia materia, locus, vel modus conceptibilis, unde ſanguis ante efformata vaſa umbilicalia in embryone derivetur, efficaciter concludimus, aliquas ſeminis particulas in ſanguinem eſſe converſas, nam facile intellectu eſt, quod vis & motus vitalis ſingulis particulis ſanguinis ultra perfectam cordis elaborationem a ſingulis partibus juxta cujuſque naturæ ſuæ temperiem impreſſus, frigida teſtium temperie, ut cum ſcholaſticis, incraſſatus, vel longa per anfractuoſos teſtium tubulos circulatione, ut cum chymicis loquar, ad ſtatum fixionis redactus, & quaſi ſopitus, ut carbo ignitus ſub cinere, in amplexu amoris corporum ac humorum commotione, animorumque concentrata quaſi agitatione excitetur, & ad priſtinum fuſionis ſtatum coadjuvante blando uteri calore reducatur: verum cum iſtæ ſeminis

minis particulæ, ſub quibus interna & eſſentialis ſanguinis deliteſcit forma, proprius accędunt ad naturam fluidi, quam reliquæ particulæ, quæ aliarum partium continent idæam, hinc illæ citius ad propriam ſanguinis naturam redeunt, & motum vitalem recipiunt, quæ particulæ certo & ſibi proportionato caloris gradu a vinculo motus expeditæ primum vitæ motum aggrediuntur, cujus beneficio ſpiritus vitalis calorque nativus cæteris partibus advehitur, quod idem ſacer textus innuit, dum vitam *in ſanguine* conſiſtere docet, *Levit. cap. verſ.* 11, quod primus ſcil. vitæ motus in ſanguine exordium, & ultimus in eodem finem capiat; hæ porro ſopitæ ſanguinis particulæ ad vitam revocatæ alias ſeminis particulas, reliquarum partium ſpecies complectentes ab incarcerationis vinculo expediunt, & motum vitalem ſingulis partibus impreſſum reſuſcitant, & hoc novo ſanguine tanquam primo & præcipuo directore tantæ molis fabricam ex tam levi principio aggrediuntur, adeo ut non ſit neceſſe, quod ſpecioſos excogitemus terminos, vel inania ſupponamus entia ad arcana humanæ generationis myſteria explicanda, cum obvius & intelligibilis ſeminis in ſanguinem circulus ſufficiat, cujus circularis converſionis neceſſitas evidenter eruitur ex ipſo ordine naturæ, quē univerſalem illam matrem in omni entium producendorum genere obſervare experimur: nam dum natura ex

ſemine tam admirandam corporis humani aggreditur architecturam, ante omnia indiget motu in materia fluida & mobili, cujus virtute partes ruditer in ſemine expreſſæ ſenſim in majorem molem extendantur, & in legitimum ſitum, juſtumque redigantur ordinem, quapropter talis neceſſario requiritur particula, cui ille motus eſſentialiter inhæret, & cujus efficacia illa munia dirigantur, ad quæ non convenientior datur materia ipſo ſanguine fluido, in quem facilis eſt ſeminis tranſitus, cum phyſica ejus ſubſtantia nulla alia ſit, quam particulæ ſanguinis ultimatim per repetitas cordis & ſingularum partium actiones, in iiſque cribrationes elaboratæ ad converſionem in ſubſtantiam partium viventium, ut ante fuſius demonſtrare conati fuimus, quo ſenſu illud medicorum axioma recipiendum, dum ſemen humores alimentarios ſecundarios eſſe doceant, quos natura, cum illis non indigeat ad individui conſervationem, ſub accidentaria ſeminis forma reſervat in locis convenientibus in quibus earum vitalis motus ſiſtitur, donec adventante nobili Amoris aſtro de cælo delabatur alma Venus, Cupidinis Charitumque ſtipata choro, quæ blando affectus oeſtro hominem ad ſui perennitatem exſtimulat, quo caloris ſtimulo hæ ſopitæ & incraſſatæ particulæ per amplexum amoris rarefactæ, & a tardiori motus vinculo expeditæ vitalem recipiunt motum, qui copioſa ſpirituum affu-

affuſione, vehementiqne animorum commotione excitata adauctus, magno impetu ſemen ab utroque ſexu excutit, quæ ſibi mutuo obviis quaſi ſuavibus ulnis amicabiliter amplexæ in utero uniuntur, & loco, quod factæ fuiſſent partes corporis viventis, in ſanguinem redeunt, & novum corporis rudimentum moliuntur, novamque microcoſmi œconomiam inſtituunt tanquam filius emancipatus; ſimili prorſus modo, quo ſuccus nutritius rami ab arbore avulſi, terræque commiſſi novam radicem loco incrementi dictæ arboris, efformat, ex qua reliqua deſcribuntur, ſicut ergo ſuccus ille nutritius natura & tempore prior exiſtit ipſa radice, ita ſanguis eſt neceſſario ſenior corde, nam cum juxta receptam ſcholaſticorum ſententiam viſcerum parenchymata ſint meræ ſanguinis affuſiones, neceſſario ſanguis debuit extitiſſe, antequam fundatur in viſcera, in quorum numero etiam recenſetur cor, & conſequenter ſanguis, ex quo cor coagmentatum ipſo corde præexiſtere debuit, qui ſanguis, cum non appareat in ſemine, nec in colliquamento, imaginari poteſt aliud organum ſanguificationis, quod lacteas ſive alimentoſas ſeminis particulas converteret in ſanguinem, neceſſario inquam ille ſanguis, qui primo ante omnia membra & viſcera conſpicitur in colliquamento ſive bulla hominis criſtallina, ex ipſo ſemine ſine prævia cordis actione proportionato calore excluſione

ſubtilis materiæ excitato reſolvitur, nunquam enim filius ante patrem exiſtit,& vanum eſt refugium ad inviſibile corculum, nam illud pro illo tempore, quo eſt inviſibile, viſibilem generare nequit ſanguinem, cum nunquam effectus ſit nobilior ſua cauſa; Quamvis *Hippocrates lib. de locis* in homine, *corporis nullum eſſe principium* doceat, *ſed omnia ſimul, & principium eſſe, & finem: in circulo enim ſcripto nullum eſt principium*; id ſane non ita explicandum, ac ſi cor in aliqua ſeminis parte delineatum eſſet vivens & aptum ad ſanguificationis actum in prima ſuæ deſcriptionis inſtantia edendum, nam Natura pictoris in modum, ut bene obſervat Philoſophus *lib. 2. gen. cap. 6*, operatur; hi ſcilicet, poſtquam animal delinearunt, ſic deinde coloribus illuſtrant; ita primum corculi rudimentum in ſemine delineatum manet rudimentum, & emortuum ac ineptum ad ullam actionem edendam, niſi primo a ſanguine vivificetur,& ſenſim in juſtam magnitudinem extendatur, nam in ſanguine perennis vitæ focus hoſpitatur, unde univerſim toti corpori ſinguliſque partibus vita promanat: nam, cum v. g. particulæ ſeminis idæam cordis referentes tam bene contineantur in ſemine muliebri ac virili; conſiderandum, illas omnes non ita accurate in primo ſeminum concurſu ſibi invicem conjungi juſto loco & ordine, quin etiam adhuc aliquæ extra ordinem

in

in tota ſeminis maſſa reperiantur, quæ cum ſeipſas eo movere non poſſunt, indigent aliquo alio corpore directore, qui illas ad ſibi ſimilium ſeriem & ordinem determinat, qui alius eſſe non poteſt, quam ipſe ſanguis ex ipſo ſemine proportionato calore reverſus, ut particulæ nivis, grandinis, glaciei, mero calore reſolvuntur in aquam, nam exiguæ ejus particulæ ſurſum in aerem vi ſolis ſublatæ ibidemque poſtea condenſatæ illas figuras retinent, quæ aquæ guttis eſſentiales ſunt; ut autem hæc melius aſſenſum mereantur, ſanguinis noſtri natura atque conditio altius repetenda videtur, quæ non ſolum medice ex bile, pituita, melancholia, & ſero, nec chymice ex ſale, ſulphure aut mercurio petenda, ſed Philoſophice ex primis conſtitutivis principiis eruenda eſt; nam conſiderandum ſanguinem, quibus nutrimur, multis exiguis conſtare particulis figura & magnitudine differentibus, quæ nunquam tam accurate ſibi nexæ & continuatæ ſunt, quin plurima ſpatia inter ſeſe relinquant, quorum quidem aliqua a ſpiritibus ab ipſo inteſtino ſanguinis motu enatis occupantur, ſed cum dicti ſpiritus præ nimia adhuc craſſitie & figura irregulari non omnia præciſe adimpleat ſpatia, quædam etiam ſoli materiæ ſubtiliſſimæ Univerſi patent, qui ſanguis cum primam ſuam originem habeat ex alimentis, quæ ſalſis, acidis, aqueis, terreſtribus conſtant particulis, quæ in præviis

co-

coctionibus non ita omnes integram amittunt naturam, quin multæ retineant ſuas figuras, & etiam multæ per varias cribrationes, fermentationes, alios ve motus acquirant tales figuras quæ ſibi mutuæ implexæ tales externas conſtituunt forment, vequales bili, pituitæ, ſero, eſſentiales ſunt, ut figuræ oblongæ, ramoſæ, acuminatæ &c. quæ cum craſſioribus maſſæ ſanguineæ particulis diverſa proportione mixtæ diverſos illos conſtituunt humores, quos medicorum ſchola ad quaternarium, chymicorum ad ternarium reſtringunt; e quorum omnium ſcaturigine id eſt ſubtili materia omnis humorum corporis noſtri qualitas, earumque actiones & fermentationes evidenter deduci poſſunt; quæ omnia tradere non eſt hujus loci, ſufficit hæc breviter annotaſſe, ut eo facilius ſeminis in ſanguinem regreſſus percipiatur, nam cum ſanguis & ſemen maxime differunt ratione fluiditatis, quod maſſa ſcil. ſanguinea ſit diviſa in multas exiguas particulas, motibus a ſe mutuo diverſis agitatas, de quibus motibus illæ ſanguinis particulæ aliquid amittunt, dum ex arteriæ ſpermaticæ poris in anguſtiſſimos teſtium tubulos trajiciuntur, & ſeminis formam externam, quæ ſeſe noſtris objicit oculis, aſſumunt, quam facile exuunt, ſimulac a vinculo tardioris iſtius motus expeditæ in libera uteri area illos recipiunt. Unde prima motuum vitalium in colliquamento origo exiſtit,

ſtit, *fruſtra enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora.* Quicunque hæc attente conſideraverit nullum inveniet obſtaculum, quo minus ad noſtra caſtra tranſeat, non enim hæc maxima, *non datur regreſſus a privatione ad habitum*, ubique & ſemper vera eſt, nam in dies contrarium, tam in naturalibus quam artificialibus deprehendimus; in his cuivis notum, quod eadem ceræ quantitas mutetur ex hominis figura in candelam, vel arborem, quæ mox humanam recipit formam, ſi ita artifici viſum. Chalybs & ferrum modo figuratur in cultri aciem, modo culter complanatur in laminam, vel ſtylum, modo rurſus exacuatur in cultrum. Aqua condenſatur modo in nivem, glaciem, grandinem, modo reſolvitur in lympham: ſi vis ſimilem metamorphoſin in microcoſmo, conſidera Barbarorum mores, qui iter per deſerta facturi, in quibus cibus & potus datur inopia, globulum ex tabaco & conchyliis uſtis efformatum ori imponunt, & imis dentibus ſugentes liquorem inde manantem cibi potuſque loco deglutientes in ventriculum congerunt, quo abſumpto ingerunt alium, qua induſtria per triduum & diutius ſine ulla virium jactura famem tolerant, qua aſſidua trochiſcorum maſticatione lympham, quæ ex chylo oritur, ventriculus defectu melioris alimenti convertit rurſus in chylum, ſic chylus mutatur in ſanguinem, ſanguis in farciminibus pro deliciis ha-

habitus & comeſtus rurſus tranſit in chylum, ſic quotidie chylus tranſit in lac, lac ab infantibus ſuctum in chylum: centena ejuſmodi adferri poſſent exempla, ſed vel ſolus inconſtans mercurius hunc circulum evidenter demonſtrat, qui in quantumvis fixam a chymicis redactus formam facili artificio ad propriam naturam reducibilis eſt; ſanguinem autem in ſemen mutari, & ſemen in ſanguinem reverti docet inſuper alba illa ſubſtantia, quæ in placenta uterina ſubſiſtit, quæ ex ſemine muliebri partim oriri creditur in prægnantibus ex copula eo confluente; quæ vaſis umbilicalibus recepta ſanguinis induit naturam, eo modo quo chylus, dum axillaria ingreditur vaſa, a magnæ auctoritatis viris traditur converti in ſanguinem, antequam cordis thalamos ſubeat, nam cum *Hippocrate* ſuſtinent cor verum eſſe muſculum, & organum non præciſe ſanguificationi, ſed ejus per univerſum corpus diſtributioni dicatum, quia judicant ſanguinis naturā dependere ab inteſtino humorum in maſſa ſanguinea contentorum motu, ſic ut ſanguis ſanguinem producat, & non a motu cordis, quo ſanguis tantum continua reciprocatione verſus extremitates propellitur ad corporis nutriendi conſervationem, & ita adhuc incognitam primam primi ſanguinis originem fatentur, quia non attenderunt ad circularem ſeminis in ſanguinem converſionem, quam facile illæ ſeminis

minis particulæ, quæ ſanguinis continent rudimentum, in externum uteri fluidum illapſæ in priſtinam naturam relabantur, & quo modo illæ partim ab impetu mediante ſpirituum transfuſione in palæſtra amoris impreſſo, partim a particulis primi & ſecundi elementi aerem intra uteri penates concluſum permeantibus inteſtinum, propriumque ſuum motum recipiant, quæ particulæ in ſanguinem reverſæ, ſeorſimque collocatæ in utero principium per ſe vivens conſtituunt, unde prima noſtræ vitæ origo, ex qua deinde juxta mechanicas naturæ leges membrorum ordo deſcribitur, & quæcunque ad humanum corpus pertinent, diſponuntur; ut ſimul breviter attingamus, quomodo mediante primo illo ſanguine reliquis partibus communicetur vita, primo repetendum eſt, quod ante tradidimus, etiam in minima ſeminis bulla omnium corporis membra ſine confuſione delineata eſſe, quod valde probabile reddunt abortus octo & plurium ſeptimanarum, in quo diſciſſis membranis exiles embryones cum ſenſibili omnium membrorum delineatione vix magnitudinem dimidiæ partis piſi minoris adæquantes diſtincte obſervantur; ſecundo conſiderandum, illas lineolas, quibus corporis rudimentum deſcriptum eſt, etiam habere cavitates, in quibus continentur illæ ſeminis particulæ, quæ ſanguinis ideam continent, & quæ omnium

primo

primo motum impreſſum ſuſcipiunt, propriamque naturam reſumunt, & quia illæ ſeminis particulæ majori copia continentur in iſtis lineis, quam quæ cordis deſcribunt machinam, hinc etiam omnium primo ſanguis ſub veſicula pulſante ſenſui ſe manifeſtum exhibet, ex quo motum ſuum propellit, eumque aliis ſeminis particulis, idæam ſanguinis referentibus, & in cavitate aliarum linearum continentibus communicat, atque ita ſanguis ſanguinem producendo primam ejus circulationem inſtituit æque perfecte, ſecundum leges naturæ, ac ſanguinis circulatio in adultis abſolvitur; nam illæ lineæ in prima embryonis delineatione æque ſunt continuæ, per quas ſubtilium particularum in earum cavitatibus datur commercium, quam in adultis, in quorum ductibus craſſiores fluidorum particulæ liberum habent commeatum; nemini hoc abſonum videbitur, qui conſideraverit dari cavitates in minutiſſimis minimorum inſectorum vaſculis, in quibus certa moventur ſubtilia fluida, quæ ibidem etiam determinantur, unde celeres & regulares eorum motus in volatu, greſſu, ſaltu &c. nec etiam ille, qui naturam contemplatur tanquam perfectiſſimum peritiſſimorum magiſtrorum magiſtrum, nam illa non modo inſtar Appellis vix viſibilem Zeuxis lineam in duas diſtinctim poteſt dividere, ſed in tres, quatuor, pluresve non ſolum dirimere, ſed etiam

etiam in tot & plures minutiſſimos tubulos viſum ſubterfugientes excavare : nam ſine conſideratione cavitatum in lineolis, per quæ prima corporis noſtri rudimenta deſcribuntur, & fluidorum in illis contentorum non poteſt haberi clarus & diſtinctus de formatione embryonis conceptus, ſed illis duobus conceſſis, quæ ipſa neceſſitatis ratio ad abſtruſa naturæ opera in efformandis animalibus explicanda dari evincit omnia generationis arcana, & primitiva tam admirandæ fabricæ fundamenta etiam citra cogitationem conſcientiamve mentis mere ſecundum regulas motus & mechanicæ canones accurate & diſtincte explicari poſſunt, & debent, ut hoc facilius mereatur aſſenſum, unde aliquod dabimus Schediaſma; Supponamus v. gr. has aliquas lineas eſſe ſubtiliſſimos tubulos, aliquod fluidum intra ſeſe continentes; Supponamus etiam dictos iſtos tabulos per modum linearum deſcriptos innatare liquori criſtallino in bulla humana contento, in ſecundo vero & tertio tubulo fluidas ſeminis particulas, quæ ſanguinis continent idæam; hoc ipſo quo dictæ particulæ per motum in actu amoris impreſſum revertuntur in ſanguinem, ejuſque motum recipiunt, paululum expanduntur, unde vaſa etiam parum dilatantur, & extenduntur, qua propter diductis eorum poris quædam particulæ externi fluidi interno fluido ſive ſanguini adjungun-

tur, quas etiam inteſtino ſuo motu in ſanguinem convertit, & quædam particulæ externi iſtius fluidi iſtis tubulis apponuntur, unde brevi tempore in tantum augeſcit ſanguinis moles, ut ſufficiat ad circulum abſolvendum, quo mediante ſingulis partium rudimentis appropriatæ particulæ ex lacteo ſive alimentoſo ſemine adjunguntur, quæ continua abdominis matris depreſſione reſpirationem ejus excipiente, exprimuntur, donec vaſa umbilicalia efformata, uteroque matris implantata ſint, per quæ tum demum fit ſanguinis materni transfuſio, per quam juſtæ omnium partium repletiones perficiuntur; concurrente tamen primo ſubtilis materiæ, deinde aeris, & deinceps liquoris intra membranas concluſi preſſione, ad cavitates œſophaghi, ventriculi, inteſtinorum, & aſpenæ arteriæ nec non veſicæ dilatandas & excavandas: nam cum nullum in natura detur vacuum, illæque cavitates tam per internam quam externam appoſitionem membranarum dilatentur, & in utero matris non apta nec ſufficenis adſit ſubſtantia ad illas replendas, neceſſario per incrementum embryonis primo ſubtilis materia ex illo aere excluditur, quæ in uteri continetur thalamis, deinde adaucta embryonis ex aere corpus matris ambiente per continuam & reciprocam ejuſdem abdominis elevationem, & ſubſidentiam, & indies fœtus magnitudine accreſcente

te liquor in animo primo ex reſiduo materiæ ſeminalis, liquefactus, poſtea per vaſa lactea umbilicalia affluens ſubtilis materiæ vicem præſtat.

Tantum luminis exhibet noſtra de circulari ſeminis in ſanguinem metamorphoſi opinio, a qua neminem, ſpero, dererrebit ſubitanea illa colorum mutatio, vel quod in primis delineati embryonis inſtantibus rubicundus ſanguinis color non ſe exhibeat intuentium oculis; Quod primum, dicimus colorem rubicundum non eſſe ſanguini eſſentialem, cum ſæpe experientia docuerit, ſanguinem album e vaſis eſſe extractum, quod facile admittent illi, qui cum *Harveo* judicant, quod alba illa ſubſtantia gelatinam cornu cervi, aut craſſius ovi referens albumen, & ſuperiorem rubrarum partium locum occupans in ſanguine educto ſit pars ſanguinis calidior & ſpiritu plenior: nam illa in calidioribus animalibus & robuſtioribus bene conſtitutis ordinarie conſpicitur. Quoad ſecundum, non eſt mirum, quod luminis reflexio in tam temuibus primi ſanguinis filamentis non ſufficiat ad ſenſum coloris rubicundi, in oculis inſpicientium excitandum, ſicut etiam unicum ſerici rubri filamentum viſui vix apparet rubicundum; inde tamen non ſequitur, quod in ſuperficie ſua non haberet talem diſpoſitionem, quæ ſenſum coloris rubri excitaret, ſi plures ſimiles conjungantur.

Objiciet forsan quispiam, *Si muliebre semen etiam omnium partium delineationes in se contineat, & virtute seminali polleat, videtur debere, sequi, quod mulier ex se ipsa in se ipsa generare posset.* Respondeo hoc nihil concludere, etiamsi etiam a matre maxima fiat determinatio quoad figuram partium embryonis: nam ad vitæ flammam concipiendam non sufficit quilibet motus, nec etiam solus motus seminis virilis, sed uterque debet conjungi, ut motus generationis determinetur in ordine ad primum vitæ motum inchoandum; sic oleum in lebete quidem calefit ab igne, sed non concipit flammam, nisi immediatus detur ignis & olei contactus; sic chalybs & ferrum, si seorsum etiam vehementissime concutiantur, non excutiunt ignem, ita nec mas nec fæminæ, quantumvis seorsum libidine ferociant, & cogitatione luxuriosa se ad generandum determinent, nulla in iis fiet conceptio, si non mutans detur in palæstra amoris contactus, sed vitæ flammula hæc est subtilissimæ microcosmi materiæ congeries quæ cum globulis vitalibus crassiores seminis particulis vehementius agitando sensibiliter motus vitales edit, debet excuti per conjunctionem motuum, viri & fæminæ in copula, adeo ut languidus vitæ in semine muliebri motus excipiatur, actuetur, & confirmetur a motu seminis virilis, quo virtus seminalis in fæmina cor-

corroborata mediante continua determinatione ab imaginatione ſua in ordine ad generationem transmiſſa illum motum a viro ſuſceptum continuare poteſt uſque ad perfecti fætus excluſionem.

CONCLUSIO. Circularis ſeminis utriuſque ſexus in ſanguinem datur in genitura regreſſus ſine ulla prævia cordis elaboratione, ſed a motu ſanguini inteſtino & eſſentiali quibuſdam ſeminis particulis reſtituto, & partim in palæſtra voluptatis per ſpirituum transfuſionem, partim a motu incaleſcentiæ fovcntis uteri impreſſo, quæ ſeminis utriuſque ſexus particulæ in ſanguinem reverſæ primam corporis genitalem particulam conſtituunt; quæ primo ſanguinis circulationem per cavas humani corporis deſcriptas lineas ordiuntur, in qua circulatione prima vitæ noſtræ ſcaturigo conſiſtit; qua mediante poſtea primo ex ſemine lacteo ſive alimentoſa, deinde ſanguine materno ſingulæ partes ruditer deſcriptæ perficiuntur.

Notandum præterea, ſi dictum ſchema per microſcopium exhibeatur oculis, omnes illæ lineæ cum ſuis punctis & eminentiis decima vel vigeſima minores pro proportione ſpeculorum perfecte & diſtincte repræſentabuntur, quæ ergo erit ratio, quæ nos impediet, quo minus credamus, Naturam in corpore animalium per intermedios glo-

bulos vitales continuo ab omnibus corporis partibus irradiantes posse in exigua seminis bulla distincte omnium partium rudimenta describere.

Caput X.

De materiali Molarum Causa.

EAdem *molarum*, quæ embryonum, est materia, in suis datur recta, in illis vero vitiosa: nam cum mola æque concipiatur a fœmina, quam fœtus, necessario iisdem exsurgit principiis, quæ sunt maris & fœminæ spermata: quia sine seminis masculini & fœmini concursu impossibilis, imo inconceptibilis est fœminarum conceptio, quidquid laxiores virginum corruptarum Patroni fabulentur: ut autem clarum & distinctum de *molarum* conceptione, earumque incremento formemus conceptum, earum causa materialis in tria ordine distincta principia dirimenda est, *germinosum*, *lacteum*, & *sanguineum*.

Principium materiale germinosum sunt illæ genituræ particulæ, ex quibus prima humanæ substantia stamina ducuntur, & primitiva corporis filamenta componuntur: nam sicuti e plantarum semine primo emergunt germen & radix, quæ postea ex terra alimentum capiunt, ita in semine animalium utriusque sexus dantur quæ-

quædam particulæ, quæ primam humani ſyſtematis baſin conſtituunt, in qua primo omnes omnino partes parvis lineolis deſcribuntur, quæ poſtea colorem, duritiem, mollitiem, formam, & alia, quæ naturalis earum exigit conditio, accipiunt: modico enim pigmento prima fit delineatio, quæ poſtea coloribus illuſtratur.

Principium materiale lacteum ſunt illæ genituræ particulæ, ex quibus humana fabrica jam concepta & delineata primam ſuſcipit alituram, quam etiam ipſa plantarum ſemina ſibi habent congenitam, πρῶτον γαλακτῶδες, *primum lacteum* a Philoſopho dictum: nam cum ſubtilia primæ vitæ ſtamina ſubtili indigeant nutrimento, æquum eſt, ut de convenienti pabulo naturæ proviſum ſit ad tenuem vitæ telam latius & longius extendendam, ne in vanum laboret, dum tantæ molis aggreditur fabricam, cujus primæva organorum ſtamina nec dum ſufficiunt ad ſanguinis affluentis materni particulas in ſimilem ſibi ſubſtantiam alterandas, & convertendas; quæ etiam primis illis diebus necdum commode ad illa propelli poſſunt defectu vaſorum umbilicalium, quæ primo etiam ex illo primo lacteo conformanda & utero implantanda ſunt, per quæ ſanguinis materni transfuſio in embryonem exordium capit.

Principium materiale ſanguineum ſunt ſan-

guinis materni particulæ, e quibus prima noſtri corporis filamenta per convenientia vaſa in majorem molem increſcunt: nam niſi in ipſo genituræ germine omnes omnino partes ſine confuſione concipiantur delineatæ, quæ poſtea juxta regulas motus per convenientem materiam extenduntur ad illam formam & figuram, quæ in prima delineatione deſcripta eſt, non poſſumus clarum & diſtinctum de conceptione & formatione noſtri corporis habere conceptum, de quo ſupra fuſius egimus. Ex triplici hac materia generatur mola, & ſpectabile hoc mundi theatrum ingreditur non ſine altis enitentium ſuſpiriis, quæ licet falſus & mendoſus appelletur conceptus, eadem equidem requirit eſſentialia, ac recta veri fætus conceptio; nec ideo mola dicitur falſus conceptus, quod ex alia ſurgat materia, ſed quia eadem illa materia non eſt recte diſpoſita, & aliquis in ea datur defectus, ratione cujus veri fætus loco mola generetur: nam omnis generatio & conceptio utriuſque ſexus fæcundum præſupponit ſemen; quia ſimplex ſeminis muliebris in uterum effuſio non eſt conceptio, ſed pollutio, ex qua nihil generari poteſt: Quod autem molarum generatio neceſſario requirat ſeminis maſculini aſperſionem, evidenter conſtat ex ſufficienti humorum enarratione, qui gaudent privilegio arcanos generationis penetrandi receſſus: nam in ſanctiori matricis thalamo nulla ſubſtantia eſt

con-

congenita, quæ myſterioſum hunc occupat thronum, unde humanæ geneſeos moderatur ſceptra, aut tam admirandi operis poterit eſſe director; quia nulla alia corporea ſubſtantia præter ſemen virile, muliebre, ſanguinemque menſtruum ſub illis laribus hoſpitatur, quam aërea, quæ ad inania receſſuum ſpatia occupanda ad naturæ ordinem, ejuſque leges in motu conſervandas deſtinata, nullam vim ſeminalem producendi carnem habet; conſequenter hæc humorum triga pro tam artificioſæ machinæ auctore veneranda eſt; eo tamen ordine, ut ſpermata conceptionis & formationis, menſtruumque vero nutritionis opus absolvat: verum cum ſeminalis utriuſque ſexus virtus ſeorſim collocata & effuſa non ſufficiat ad novam carnem, tanquam ſubſtantia ſeparatam, novumque ens in Rerum Natura, producendam, neceſſario cauſa molæ debet eſſe genitura utriuſque amplexu in uterum effuſa, cum ex ſanguine ſolo in uterum effuſo & extravaſato ulla novæ carnis generatio ſperanda ſit, cum indies obſervemus in actu nutritionis ſanguinem extra vaſa effuſum non in carnem converti, ſed in purulentam corrumpi ſubſtantiam; Dum ergo huic humorum trigæ ſoli conceſſa eſt gratia ſacra hæc uterini thalami penetralia intrandi, nullum eſt dubium, quin magnus Medicinæ Dictator, *Hippocrates* vere pronuntiaverit, molæ conceptus *cauſam* eſſe *genituram morboſam & medicam*, cum

multi menſes tantum concurrant ad nutritionem molæ, jam ex genitura morboſa & modica conceptæ: tunc enim dicitur fœmina concipere, quando in amoris palæſtra cum ſuo ſemine ſimul maſculinum capit, & quoties illa genitura morboſa & modica eſt, non fœtus, ſed molæ fit conceptus. In quo vero præciſe illa ratio morboſitatis & paucitatis conſiſtat, *Hippocrates* ob laconiſmi elegantiam omiſit, & quia commentatores, qui hactenus arcanis humanæ generationis vacarunt explicandis, in generalibus iſtis *Hippocratis* hæſerunt verbis, quod cum multorum cogitationibus non ſatis faceret, occaſio fuit, quod in diverſas iverint ſententias; hinc verbis iſtis infra cap. XII. aliquid lucis afferre conabimur.

CONCLUSIO. Molarum materia conceptionis & formationis eſt genitura morboſa, ſive ſemen utriuſque ſexus certis particulis deſtitutum in uteri aream effuſum: materia nutritionis eſt ſanguis menſtruus affluens.

CAPUT XI.

De efficiente Molarum cauſa.

QUoniam *Mola* eſt ſubſtantia carnea ex mutuo ſeminum complexu producta, non aliam agnoſcit cauſam efficientem, quam vir-

virtutem ſeminalem in ipſo ſpumoſo ſpermatis fœcundi corpore reſidentem, quæ conſiſtit in certo motu corporeo ſemini a parentibus impreſſo: nam ex infœcundo ſemine nulla carnis, quamtumvis ea foret informis, exſpectanda eſt generatio; quia ſemen, ex quo mola, non magis dicendum eſt infœcundum, quam illud, ex quo proles ſine brachio, vel pede naſcitur: nam productio *molæ* non eſt error naturæ generantis, quaſi ipſius virtus ſeminalis foret infracta; ſed eſt vitium defectuoſæ materiæ, quæ ipſi efformanda offertur: eadem enim omnino eſt virtus, quæ conceptum ſemen in articulatum deſcribit embryonem, & quæ ex admiſſo ſemine effingit *molam*; ſic idem eſt Sol, qui ex tritico triticum, & ex tritico lolium producit: nam dum *molæ* generatio non abſolvitur externâ ſanguinis menſtrui affuſione, ſed internâ ſanguinis in carnem & membranas converſione, neceſſario in utero debet alia ſubſtantia adeſſe cui ineſt virtus, quæ affluentem ſanguinem menſtruum in carnem tranſmutet: nam ſicuti in hiſtoria nutritionis, ut aliquæ ſanguinis particulæ in carnis, oſſis, aliuſve partis ſubſtantiam convertantur, non ſufficit, quod dictæ particulæ ad talem metamorphoſin ſint diſpoſitæ, ſed præterea requiritur, quod carnea, oſſeave præexiſtat ſubſtantia vivificante motu prædita, quæ iſtius tranſmutationis eſt auctor: nam ſi nulla caro, vel os in corpore nutriendo præexiſte-

exiſteret, vel propria eorum vis eſſet labefacta-ta, nullæ ſanguinis particulæ in eaſdem converterentur, ut docuit ſæpius experientia in hominibus, qui caruerunt pulmonibus, & in iſtis, qui loco oſſium cartilaginibus conjuncti erant, ut & in bove Danico, cujus cerebrum in petram converſum fuit ſine aliqua animalium actionum læſione, in quibus nullæ ſanguinis particulæ in pulmonum, oſſis, vel cerebri ſubſtantiam converſæ fuerint, quamvis præviam diſpoſitionem in corde ſuſceperant, ut etiam in quibuſdam atrophiæ generibus contingit, in quibus defectu virtutis partium nulla fit aſſimilatio, vel converſio, ita multo magis requiritur in utero ſpecificum principium, quod eſt auræ æthereæ portio, in amoris palæſtra in matricis thalamum excluſa, quod ſanguinem menſtruum certa ſui motus determinatione in carnem tranſmutet, quæ tanquam nova entis ſpecies in Mundi ſcenam prodit, ad quam metamorphoſin non ſufficit fœminarum imperatrix uterus cum univerſo ſuo muliebri mundo, etiamſi vehementiſſima accedat imaginatio, & copioſiſſima proprii ſeminis pollutio, cujus particulæ non ſolum ob debiliorem fœminarum naturam; ſed etiam quia ſubtilem ſe ſola in uterum excludere nequeunt materiam, non ſint ſufficienter elaboratæ, ut poſſint propria virtute in ſanguinem reverti; quod tamen eſt neceſſa-

rium

rium, antequam nova aliqua carnis ſubſtantia in uteri thalamo producatur, quia ſanguis, ut recte obſervavit *Harveus*, eſt primogenita corporis humani particula: non enim datur tranſitus ab extremo ad extremum, niſi per medium, quod in generationis myſterio præcipue dependet a virtute ſeminis maſculini, multo minus muliebre ſemen poterit per ſe affluentes vel exſtillantes ſanguinis menſtrui particulas in carnem convertere; primo quia ſemen fæmineum per ſe in uterum effuſum nullam corporis telam exordiri poteſt, & conſequenter nec vaſa, per quæ ſanguinis fieret transfuſio: nam ſi menſtruum extra vaſa in uterum exſtillet, ilico exitum ſibi parat, vel corruptelam induit; quapropter neceſſario tanquam cauſa efficiens primaria *molæ* requiritur virtus maſculina ſpermatis, quæ muliebre excitat ad rudem aliquam corporis telam texendam.

Objiciet forſan quiſpiam, in genitura etiam non præexiſtere aliquam carneam ſubſtantiam, quæ affluentem ſanguinem in ſibi ſimilem ſubſtantiam convertat. R. licet in genitura non præexiſtat formaliter vel ſenſibiliter caro, datur tamen in ea virtualiter, & inſenſibiliter in rudi illa partium delineatione, nam genitura in uterum admiſſa gaudet facultate particulas diſpoſitas in ſanguinem & carnem & oſſa tranſmutandi: nam in omnibus ſeminis par-

particulis eadem partium virtus est impressa; quales partes habent, quarum idæam complectuntur, quæ a subtili materia intercurrente actuatur.

CONCLUSIO. Causa efficiens primaria molarum est virtus seminis masculini, secundaria faminini, totalis, virtus utriusque sexus seminis unita.

CAPUT XII.

De causa Molarum procatarctica antecedente & continente.

PHysica *Molarum* causa materiali & efficienti Physice demonstrata, per quas *Mola* tanquam nova entis species Mundi theatrum ingreditur, restat, ut ad causas deveniamus Medicas, juxta illud tritum, *Medicus incipit, ubi Philosophus desinit*, quarum ratione ab Æsculapii filiis in morborum catalogum relatæ sunt, in qua consideratione *Molis* æque ac reliquis infirmitatibus obtigit fortuna, quod originis suæ habeant causam procatarcticam, antecedentem, & continentem, in quarum explicatione clarius illustranda desideratur *morbositas & paucitas seminis*, quæ *molæ* conceptionis ab *Hippocrate*, ejusque sequacibus dicuntur causæ, in quo præcise ista seminis morbositas & paucitas consistat.

Quam

Quam exigua ſint magnarum rerum principia, ex obviis indies videmus exemplis: procera quercus exiguo ſeminis corpuſculo naſcitur: prima microcoſmi delineatio vix apis magnitudinem adæquat; unde evidenter deducere poſſumus, verba *Hippocratis* non eſſe intelligenda de ſeminis quantitate generaliter conſiderata, ac ſi minor ſeminis copia ad *molæ* quam ad fœtus generationem requireretur, nam ad quantitatem tam parvæ *molis* tantum exigua ſeminis deſideratur copia, ſed per ſemen modicum intelligendum judicamus tale ſemen, quod pauciores in ſe continet particulas, quam illud, quod ad perfecti embryonis deſcriptionem ſufficit.

Cauſa ergo *Molarum* procatarctica, eſt omne illud, quod in genitura defectum particularum ad cordis fabricam neceſſariarum procurare, vel earum convenientem ſitum, illarumve in motu ad partes debite extendendas progreſſum impedire poteſt.

Cauſa antecedens eſt ſemen utriuſque ſexus ſive genitura cum tali defectu, vel impedimento in uteri thalamo concepta, vel producta cauſa continens eſt quadruplex, 1. defectus particularum, quæ ad cordis fabricam requiruntur. 2. quod illæ particulæ virtute ſeminali diſtitutæ ſint. 3. inordinata earum ſituatio. 4. quod ab externo comprimantur: nam illa ſeminis *morboſitas* non eſt quærenda in exceſſu calo-

caloris & frigoris, aliarumve qualitatum; cum mulieres calidiores æque ac frigidiores, craſſiores æque ac graciliores in Regionibus calidis pariter ac frigidis *molis* obnoxiæ ſint: ſed eſt morbus ſeminis in diminuto numero particularum, quas perfectum requirit ſemen, nam licet adſint, & virtute ſua ſint exutæ, vel ab alia cauſa impeditæ, quo minus motus ſuos perficere valeant, cenſendæ ſunt, ac ſi non adeſſent, niſi tales particularum caſus mavis referre ad alias morborum claſſes: nam ut claram de ſemine formemus idæam, concipiendum eſt, non modo totam corporis machinam tam intrinſecam, quam extrinſecam, ſed etiam tam bene illam partium configurationem, quæ in aſpectum cadunt, quam illam quæ ſeſe noſtris ſubjucit oculis ſine ulla confuſione in ſuis particulis eſſe expreſſam eo modo, quo ut accuratiſſime ſingulas maximorum corporum partes in fundo oculi vel ſpeculo depictas viſu obſervamus, ut latius ſupra traditum, quæ ſententia Antiquorum Placitis eſt conformis, nam *Galenus lib.* 1. *Sem.* §. 9. & 10. agnoſcit in ſemine, *deſcriptionem quandam, & quaſi adumbrationem omnium partium*, cui conſentit *Hippocrates* lib. de loc. in hom. *Corporis nullum eſſe principium, ſed omnia ſimul & principium & finem eſſe; in circulo enim ſcripto nullum eſt principium*, adeoque omnium partium figuræ in minimis particulis expreſſæ

ſunt

ſunt, quæ poſtea moderamine cordis juxta mechanicas motus leges ex convenienti alimento ad ſenſibilem talem extenduntur figuram, qualis in rudi particularum delineatione expreſſa erat quod correſpondet doctrinæ *Ariſtotelis*; *qui lib. 2. de gener. omnes partes primum lineis quibuſdam deſcribi*, docet, *& cap. 21. ex ſemine fieri animal, ut ex fabro lignoque fit lectus, aut ex cera formaque globus.* Unde evidenter concludimus, defectu illarum particularum neceſſario informem generari maſſam loco articulati embryonis, quod ipſa Hippocratis verba ſatis indicant, *morboſum & modicum*, veram iſtius morbi in ſemine cauſam conſiſtere in defectu quarundam particularum; non enim opus eſt magna ad embryonis molem moles, abortus enim 30. a 40. dierum magnitudine ſunt formicæ majoris; vidi inquit, *Variola* in abortu quadraginta dierum hominem perfecte formatum ſub apis magnitudine. Similem hiſtoriam etiam apud *Fernelium* legimus 7. *phyſ. cap.* 10. nam ſi *Hippocrates* rationem morbi morboſi ſeminis conſtituiſſet in alio, quam in defectu particularum, fruſtra addidiſſet *paucum & modicum*, nam quo ſemen morboſum foret copioſius, eo citius & certius generaretur talis morbus, cujus idæam continet.

De multitudine menſium nec *Hippocrates* ita intelligendus, ac ſi vellet, quod in ipſo

actu conceptionis multi menſes *paucum & morboſum complecterentur ſemen*, hoc vix poſſibile in ipſo menſtruationis tempore, quo viri probi feriantur ab amoris certamine, nec honeſtæ maritos admittunt, multo minus extra illud tempus, ſed explicandus eſt de tempore, quando vaſa umbilicalia implantantur utero, per quæ ſanguinis fit transfuſio in embryonem, quo tempore ſanguis tanta copia propter hiantia vaſorum oſcula in embryonem præcipitari poteſt, ut non modo genituram morboſam, ſed etiam ſanam obruat, & impediat, quo minus genitura in corpus organi ſatum, vel vivum aſſurgat, ſi vero ille ſanguis ſerius poſt conformatas partium delineationes irruat, potius abortus, quam *mola* ſubſequetur, quod ſæpe in teneris, & pallido colore matronis obſervavimus, quæ maritatæ feliciter concipientes non niſi mortuos excluderent fœtus, nihil etiam juvantibus quibuſcunque remediis confortantibus, quantumvis ſpecioſo titulo, & auro luxuriantibus, donec re bene examinata experientiam *Galeni* imitati fuimus, qua puellam gracilem & emaciatam ſectione venæ decies quater adminiſtrata ad habitum piugnem, & euſarcum reduxit, & poſt certam conceptionem repetita phlebotomia graciles matronas vivas eniti proles procuravimus.

Prima *Molarum* cauſa, ſcil. *defectus particularum*

cularum in genitura quæ ad cordis fabricam requiruntur, probatur ex neceſſitate motus, quo rudia omnium partium lineamenta, in exiguo ſpumoſo ſeminis corpore expreſſa, ad debitam extenſionem & ſitum propellenda ſint, juxta Naturæ legem, *omne quantum eſt determinatum ad maximum & minimum*, atqui in deſcribenda illa partium quantitate neceſſarium eſt univerſale motus directorium, cujus auxilio ſingula membrorum rudimenta, ſub umbra ſpermatis deliteſcentia, in viſibilem organizationem paulatim oculis exponantur: hunc Imperii clavum cor omnium ſæculorum ſuffragio in œconomia animalis moderatur, quod claris etiam verbis docet *Ariſtoteles lib. 2. de Gen. cap. 4. Itaque principium haberi oportet, a quo poſtea ordo membrorum deſcribatur, & quæcunque ad abſolvendum animal pertinent diſponantur, & ex quo incrementum, & motus cæteris partibus contingit. Cor enim totius Naturæ eſt principium, & finis continens, primum fieri debuit, tanquam pars naturâ ſua genitalis, quæ prior ſit, oportet, quaſi principium reliquarum, totiuſque animalis, & ſenſus.* Nam cum Natura efficacia virtutis ſeminalis ſe applicat conformandis partibus, ſtatim illos exorditur motus, qui ipſi inſerviunt ad omnia membra ad juſtum locum, debitumque ſitum transferenda, ut quælibet pars loco debito ad determinatam

Naturæ molem increſcat ſine confuſione, quod cum ſine motu fieri non poſſit, debet illa Naturæ hiſtoria beneficio cordis abſolvi, cum primum fixum in microcoſmo mobile ſit. Conſtituit enim Deus pro incomprehenſibili ſua ſapientia in Rerum natura motus ordinatos, nec quidquam temere, aut fortuito, ſed omnia decenti ordine, ac certa lege ferri volvique voluit, ne quidlibet ex quolibet ſed certa certis divina benedictione naſcerentur, quod ſapienter noſter *Galenus admonet*, 15. *uſ. part*; ταῦτα ὁ Δημιουργὸς, ἡμῶν ἐβουλήθη γίγνεσθω, *hæc Conditor noſter ita fieri voluit*; in quem etiam finem determinata voluit produci organa ad res creatas in tam pulchro ordine conſervandas, & continuandas uſque ad conſumptionem ſæculi. Corde ergo deficiente non poteſt ex ſemine produci corpus debite organizatum, ſed quædam informis maſſa, quæ *mola* medicis appellatur.

Secunda *Molarum* cauſa conſiſtit in eo, *quod, licet dictæ particulæ, quas cordis exigit ſtructura, adſint, virtute ſeminali deſtitutæ ſint*, quod poteſt variis fieri de cauſis, tam nimia caliditate, quam frigiditate, aliarumve particularum admixtione, quæ vim inditam ſuffocant, & exſtinguunt; ita videmus ſemina plantarum, tam bene vim ſeminalem perdere, ſi diu vini ſpiritu macerentur, quam ſi frigore emortua ſint: imo cæpe & allia eandem

ſola ebullitione amittunt; ita & mentis commotiones virtutem ſeminalem ab illis aliiſve particulis abſtergent, nam ſemen non imbuit fæcunditatem præciſe a caliditate vel acrimonia, ſed ab æquali omnium qualitatum ſymmetria & vitalis ſpiritus perfuſione, & præcipue ab impreſſione notarum, quas particulæ ſeminis adhuc in ſanguine exiſtentes acceperunt a partibus, quarum domeſticos lares continuata circulatione ſæpius penetrarunt, & ſpiritus imbiberunt, qui ex moderato rerum non naturalium uſu oriuntur. Unde peccant illi Medici, qui ſterilibus multa obtrudunt ſatyrica, & ſtimulantia, eorumque viſcera pungentium copia infarciunt, nam ex viro honeſto & modeſto ſæpe deploranda metamorphoſi trucem aliquem caprum creant, ad inſatiabilem luxuriem potius quam ad debitum conjugale opportune perſolvendum: nam ad fæcundum & laudabile procurandum ſemen plus proficiemus ex ſuavi pulte, & pane laudabili, quam extracto Satyrionis: non ne videmus, ruſticos & plebejos, qui rarius Baccho litant ſacra, fortiores & pulchriores procurare proles, quam Nobiles & cives, qui quotidie Deum illum ſalutantes ſe replent. Hoc optime notavit *Macrob. lib. 7. Satur. hauſto plurimo vino*, inquit, *fiunt viri ad coitum pigriores, quia vini copia facit ſemen exile & debile*; imperfectæ enim tales ſunt cum uxoribus conſuetudines, & infructuoſæ, quod

Naturæ molem increſcat ſine confuſione, quod cum ſine motu fieri non poſſit, debet illa Naturæ hiſtoria beneficio cordis abſolvi, cum primum fixum in microcoſmo mobile ſit. Conſtituit enim Deus pro incomprehenſibili ſua ſapientia in Rerum natura motus ordinatos, nec quidquam temere, aut fortuito, ſed omnia decenti ordine, ac certa lege ferri volvique voluit, ne quidlibet ex quolibet ſed certa certis divina benedictione naſcerentur, quod ſapienter noſter *Galenus admonet*, 15. *uſ. part*; ταῦτα ὁ Δημιουργὸς ἡμῶν ἐβουλήθη γίγνεσθαι, *hæc Conditor noſter ita fieri voluit*; in quem etiam finem determinata voluit produci organa ad res creatas in tam pulchro ordine conſervandas, & continuandas uſque ad conſumptionem ſæculi. Corde ergo deficiente non poteſt ex ſemine produci corpus debite organizatum, ſed quædam informis maſſa, quæ *mola* medicis appellatur.

Secunda *Molarum* cauſa conſiſtit in eo, *quod, licet dictæ particulæ, quas cordis exigit ſtructura, adſint, virtute ſeminali deſtitutæ ſint*, quod poteſt variis fieri de cauſis, tam nimia caliditate, quam frigiditate, aliarumve particularum admixtione, quæ vim inditam ſuffocant, & exſtinguunt; ita videmus ſemina plantarum, tam bene vim ſeminalem perdere, ſi diu vini ſpiritu macerentur, quam ſi frigore emortua ſint: imo cæpe & allia eandem

ſola

ſola ebullitione amittunt; ita & mentis commotiones virtutem ſeminalem ab illis aliiſve particulis abſtergent, nam ſemen non imbuit fæcunditatem præciſe a caliditate vel acrimonia, ſed ab æquali omnium qualitatum ſymmetria & vitalis ſpiritus perfuſione, & præcipue ab impreſſione notarum, quas particulæ ſeminis adhuc in ſanguine exiſtentes acceperunt a partibus, quarum domeſticos lares continuata circulatione ſæpius penetrarunt, & ſpiritus imbiberunt, qui ex moderato rerum non naturalium uſu oriuntur. Unde peccant illi Medici, qui ſterilibus multa obtrudunt ſatyrica, & ſtimulantia, eorumque viſcera pungentium copia infarciunt, nam ex viro honeſto & modeſto ſæpe deploranda metamorphoſi trucem aliquem caprum creant, ad inſatiabilem luxuriem potius quam ad debitum conjugale opportune perſolvendum: nam ad fæcundum & laudabile procurandum ſemen plus proficiemus ex ſuavi pulte, & pane laudabili, quam extracto Satyrionis: non ne videmus, ruſticos & plebejos, qui rarius Baccho litant ſacra, fortiores & pulchriores procurare proles, quam Nobiles & cives, qui quotidie Deum illum ſalutantes ſe replent. Hoc optime notavit *Macrob. lib. 7. Satur. hauſto plurimo vino*, inquit, *fiunt viri ad coitum pigriores, quia vini copia facit ſemen exile & debile*; imperfectæ enim tales ſunt cum uxoribus conſuetudines, & infructuoſæ, quod

idem tradunt Avicenna *lib.* 3. *fen.* 1. *tract.* 1. *cap.* 8. & Ariſtoteles *probl. lib.* quibus ſuffragatur experientia, qua cuivis conſtat, Italos, Hiſpanos, Gallos, qui parcius utuntur vino, ad veneris ſacra eſſe alacriores quam Germanos, ſe vino ciboque ſepelientes: quod quadrat præcepto Hippocratis, qui *lib. ſteril.* fæminam ſi de cætero valeat nullaque uteri labe infecta ſit, jubet cum viro, qui non ſit ebrius, ſed cibis potenter alentibus & vino generoſo mediocriter paſta, ſe in amoris palæſtram committere.

Tertia cauſa *eſt prava earundem particularum ſituatio*, quod manifeſte evincitur in ovis conquaſſatis, ex quibus nulli pulli excluduntur, licet omnia requiſita in tali ovo æque ſint concluſa, quam in alio; hinc procul dubio ab Auctore Naturæ cautum eſt; quod ova tam duro teſtæ munimento circumtecta ſint, ne ſitus particularum primi mobilis in ovo, juſto loco expreſſus, a gravitate gallinæ incubantis, pedum violentia, aliave injuria a primævo ſtatu deturbetur: nam principium motus extra convenientem centri locum nequit juxta Naturæ leges ſibi impreſſos moderari motus, quam vero neceſſario in univerſa automatum ſupellectili conveniens pro centro motus requiratur locus, cuivis notum eſt, nam clavus proræ, vel lateri naviculæ affixus non niſi confuſionem in navigatione parit; quanto ergo Natura artem

tem ſuperat perfectione, tanto accuratiori indiget apparatu. Si ergo centrum motus, talis machinæ non ſit tali loco conſtitutum, unde nec commode materiam ad incrementum neceſſariam poſſit accipere, nec acceptam debite diſtribuere, ex tali irregulari motu non niſi irregularis & informis maſſa oriri poteſt.

Quarta cauſa eſt *violenta dictarum particularum compreſſio*, quo minus dictæ particulæ impreſſos motus poſſint ſufficienter promovere in finem a Natura intentum, quæ cauſa ut plurimum noſtro judicio adeſt, quia *molæ* frequentius cum vero fœtu, quam ſine eodem excluduntur, hoc ipſo enim, quo fœtus eſt grandior, & uterini parietes craſſiores, ſemen in imprægnatione demiſſum ſæpe non ſufficiens invenit ſpatium, in quo motus ſuos exercere poteſt, ad partium rudimenta debite extendenda, hinc ex motu irregulari & confuſo non niſi confuſa moles exſpectanda eſt. Ut enim recta fiat partium fœtus conformatio, omnia impedimenta tam externa, quam interna removenda ſunt, quæ primum motus centrum in microcoſmo turbare, & de loco dimovere poſſunt; in quacunque ergo amoris palæſtra, in qua illæ particulæ ad ſtructuram cordis neceſſariæ deſunt, vel ſeminali exutæ ſunt virtute, vel non in proprio conſtitutæ centro, vel a cauſa externa in impreſſo promovendo motu impediuntur, quo minus ad

juſtam cordis fabricam valeant extendi, tota perit microcoſmi œconomia, & loco veri fœtus informis carnis maſſa in lucem erumpit.

Theodorus Kerckringius curioſorum inveſtigator ſedulus, *obſ.* 38. *Spicil. Anat.* judicat molam nil aliud eſſe, quam *placentæ materiam in utero relictam, poſtquam tenellum fœtus rudimentum inſcia matre exciderit*, quæ dum ibi hærens, *ait*, non putreſcit, ſed augetur, quæ variarum in utero contrectationum ſæpe eſt cauſa, quæ dum ſubitis variantur vibrationibus, ut etiam earum motus extrinſece percipiatur; animalis per uterum veloci motu diſcurrentis tam ipſi, quæ ſymptomata patitur, quam tangentibus dat ſuſpicionem.

Verum, quamvis caſum abſolute concedam poſſibilem, ſed erit de rariſſime contingentibus, nam cum embryo ſuis includatur membranis, quæ non tam facile rumpuntur, ob firmam compagem, nec cauſæ externæ vix impetu ſuo embryonem ſolum impingi intactis membranis poſſint, & internæ acrimonia ipſius corrodere debent membranas involventes, antequam fit earum contactus in embryone, nam in tenello fœtus rudimento, quod inſcia poteſt excidere matre, intra membranas & embryonem vix acres humores poſſunt concipi, ex quo fonte illi eo derivarentur; Deinde cum placen-

placenta non firmiter hæret utero niſi aliquot ſeptimanarum ſpatio poſt conceptionem, vix videtur fieri poſſe, ut neſcia matre tenellus excutiatur embryo, relicta placenta, dum in tenerrima embryonis ætate placenta necdum adhæret utero, vel ſaltem non tam firmiter, ut non ſequatur embryonis raptum, quia mediantibus vaſis datur aliqualis embryonis cum placenta continuatio, nam ipſa dictat ratio, quod eadem violentia, qua firmior membranarum compages, laxus mollis placentæ nodus diſſolvatur: Conceſſa ejuſmodi embryonis excuſſione relictæ placentæ incrementum repugnat Naturæ legibus; quia, ſi œconomia naturæ muliebris regia procedat via, menſtruâ ſtatis fluent periodis, ceſſante enim fine ceſſant media. Si quis placentam ex illo excuſſo embryone poſſe relinqui, eamque in numerum molarum recenſendam pertinaciter velit, non refragabimur, ſed non concedimus, quod omnis ex tali principio emergat.

CONCLUSIO. Cauſa molarum proxima eſt quadruplex, vel defectus in genitura particularum, quæ ad cordis requiruntur machinam, vel earum amiſſus vigor, vel prava ſituatio, vel externa compreſſio, quæ ſingula membra diverſas ſeorſim poſſunt habere cauſas remotas.

Caput XIII.

De loco Generationis Molarum.

Lactantius jure merito redarguit illos Philosophos, qui opinati sunt, terram folliculos quosdam, veluti uteros genitali semine turgidos concepisse, iisque disruptis animalia, & homines produxisse, quo illud *Lucretii* spectare videtur.

Crescebant uteri terræ radicibus apti.

Fabulosa vetustas *Ogygem* & *Inachum* ex eorum numero esse, qui e terra prorùperunt sponte, credidit superstitiose nimis. Quin *Tagetem*, celeberrimum illum apud Hetruscos Haruspicem simili modo e gleba sponte natum severiores quoque scriptores monumento tradiderunt; inter quos magnus ille Eloquentiæ Magister *lib. 2. de Div. Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, cum terra araretur, & sulcus altius fuisset impressus, repente extitisse, & cum affatum esse, qui arabat.* cujus historiam lepido carmine complexus est Ovid. *lib. 15. Metam.*

Haud aliter stupuit, quam cum Tyrrhenus arator.
Fatalem glebam, mediis aspexit in arvis
Sponte sua primum, nulloque agitante moveri,

Su-

Sumere mox hominis, terræque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixere Tagen, qui primus Hetruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

At quam ridicula hæc ſint, judicet modo, qui vel eminus Philoſophorum pulſaverit oſtia, redolent enim nimis Poetarum fabellas: ejuſdem generis eſt, Mythologicus Minervæ e cerebro jovis, Vulcani diviſo ſecuri, partus, & quæ de *Pyrrho* & *Deucaleone* leguntur, ij enim, ut referunt, poſt diluvium humanum genus reparaturi, lapides a tergo jecere, qui mox in homines abierunt. Nolim tamen concutere magnam magni *Kircheri* auctoritatem qui in mundo ſubterraneo homines ſubterraneos eſſe contendit: nam illi ſunt veri homines ſub obſcuris terræ viventes viſceribus, & cytherea ſacra eodem ritu, quo ſuperterranei, in generationis actu celebrantes; Dum enim ille puer, qui ab Anglis 1140. refertur captus, aſſeruit in ea Regione, unde venerat, nunquam viſum eſſe ſolem, certum eſt, quod illi homines a teneris denſis aſſueti tenebris in terræ cavernis & antris, ceu tuguriis habitent.

Nullo modo audiendus impius ille *Paracelſus*, qui ex ſemine humano in ampullam vitream conjecto, & aliquandiu ſub fimo equino detento, homunculum produci poſſe ſomniavit, cui

cui ſane ſtolidiſſimæ & impiæ opinioni non puduit ſufferre ſuffragium *Amatum Luſitanum*, celebrem inter Recentiores Scriptorem, in quem tamen impetuoſe debacchatur *Helmontius* paradoxologorum anteſignanus. Ejuſdem farinæ eſt hiſtoria Luciani, non ſine lectoris cachinno, in regione lunari hominum genus reperiri, qui dicuntur arborei, hoſque naſci ex teſticulo deciſo, & humi plantarum more defoſſo. Simili modo explodenda hiſtoriarum fides, qua *Herodotus*, *Plinius*, aliique tam recentiores, quam veteres tradunt, viperas, muſtelas, coturnices, piſces ore concipere, qua in re credula eorum ignorantia lepidam excogitavit de viperis fabellam, qua aſſerunt viperam fæminam ore ſemen maris excipientem tanta voluptate mulceri, ut furore percita maris caput ore prehenſum mordeat, ac tandem vitæ conſortem occidat: verum naturali inſtinctu prolem inde conceptam patris mortem vindicaturam, ilia matris diſrumpere, & vi proſilire foras, unde maris interitus matris morte ſolvitur, quod argute *Sympoſius* Poëta antiquiſſimus hoc ænigmate poſteritati conſecravit.

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem,
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem,
Id mea mors patitur, quod jam mea fecit origo.

Nos

Nos miramur, qui τὸ ἀληθὲς Philoſophicum amamus, quod Recentiorum multi non metuant doctorum riſum, qui ut opinionem tueantur ſuam, de memorandis hiſtoriis de piſcium per oſcula conceptu ſententiam revocare ſtudent, ſi non ſtudio turgeant ἀνπλόγιας, facile ſe errare deprehendent, ſi modo attentius legant *Ariſtotelem*, cujus auctoritate ſibi patrocinantur, nam ipſe, cum *lib.* 5. *hiſt. animal. cap.* 5. videatur iſti favere opinioni, coactus eſt aperire falſitatem *lib.* 3. *de gen. aal.* ubi ſic loquitur, *facit enim piſcium celeritas coitus, ut ejus opinionis auctores decipiantur, tanta enim celeritate rem veneream peragunt, ut etiam piſcatores complures lateat, nemo enim aliquid tale cognitionis gratia obſervat, veruntamen coitus viſus eſt, ſed piſcium abjunctio celerrima eſt, itaque cum eam non cernant captu, vel voratu ſeminis, & ovorum, quem exploratum habent, moventur, vel piſcatores, ſtultam illam & vulgarem rationem de conceptione piſcium aſſerant, quam, & fabulator Herodotus ſcribit, quaſi ſeminis devoratu impleantur, nec vident id fieri non poſſe, meatus enim qui per os intro tendit, in ventriculum fertur, non in vulvam, quodcunque ventriculum ſubierit, alimentum id efficit, neceſſe eſt: ſimilis error in generatione avium quoque evenit, qui corvos, & ibi ore coire opinentur; muſtelas inter quadrupedes ore parere, hæc enim & Anaxagoras & alii quidam natura*

turales Auctores ſcribunt ſimpliciter valde & inconſiderate. Muſtelam etiam modo cæterarum quadrupedum vulvam habere, certum eſt: ex qua, quonam pacto fœtus ad os deveniat? ſed quia parvos admodum parit, ut cæteræ ſidipedes, de quibus poſtea dicemus, & ſæpe catulos ſuos ore transfert, fecit, ut ita opinentur; explosis ejuſmodi commentis judicamus nos graviter offenſuros Divinam prudentiam in infallibilibus Naturæ de viventium propagatione legibus, ſi non ſtatueremus pro tam admiranda humanæ ſtructuræ architectura certam matricem, & determinatum locum, quem Deus diſtinctione ſexus diſcernere voluit, in quo Natura, generationis avida, parata habere poteſt omnia tanto operi neceſſaria adminicula, fraſtraneum foret ſexus humani diſcrimen, ſi in omnibus, promiſcue corporum partibus & viſceribus proles procudi poſſent; quare enim ſemen in ventriculum maris injectum non æque abiret in embryonem, ac in ſtomachum fœminæ, & cur ventriculus magis gauderet illo privilegio præ cæteris inteſtinis, inquibus per peccatum ſodomiticum nunquam auditum eſt, genitum fuiſſe corporis humani vel minimum rudimentum. Quantum ad hiſtoriam fœtus Muſſipontani extra uterum in abdomine inventi, ibidemque putrefacti, illa non concludit, quod fœtus ille ſit extra uterum conceptus, quidquid *Deuſingius* & alii nugentur de poſſibili-

bilitate conceptionis extra matricem, ac ſi ſpiritus ſeminis maſculini relicta corpulentia non ſolum tubas fallopianas ſed & uteri poros in muliebre ovarium, ibidemque cum ſpiritu ſpermatis fæminini conjunctus teſtiumque membranis excuſſus non modo in cavitate abdominis fœtus humani architecturam aggredi, ſed etiam inteſtinorum, ventriculique poros penetrare, & intra illorum viſcerum ambitum idem artificium efficere valeat; nam locus generationi dicatus majorem plurium concurrentium cauſarum requirit apparatum, quam calorem, qui etiam taliter certo modo debet eſſe modificatus, qualis gradus in nullis aliis partibus invenitur, nam quod Medici diſſecto cadavere in utero non invenerint cicatricem, non probat illorum intentum, qua, cum vidua plura luſtra in cælibatu vixerit, poterit cicatrix tanto temporis ſpatio taliter obliterari, ut nulla ejus veſtigia apparuerint, vel Medici forte non ſatis attentis oculis uteri ſubſtantiam contemplati fuerunt, vel etiam tubæ fallopianæ potuerunt fuiſſe adeo dilatatæ, ut motu periſtaltico excitato fœtui exitum conceſſerint.

Concludimus ergo ſemen nullibi, niſi in utero, commodam reperire matricem, uterumque eſſe ſolum & unicum feminis humani receptaculum a Deo in Naturæ libro præſcriptum, in quo ſi ſemen effundatur prolificum & perfectum, ſi imperfectum, eo modo, quo

di-

dixmus *mola* generabitur, nam corporalis utriuſque ſeminis ſubſtantiæ complicatio requiritur ad conceptionem, quidquid Harveana experimenta contrarium ſuadere videantur; ut latius alibi, aurem vellendam arbitror omnibus, qui alterum, ſi alterum, mille obtrudant loca, quæ cum intueor, hominum ſolertiam mirari ſoleo in opinionibus commentitiis effingendis; ſolertiam vero? imprudentiam dixeris. Doleo magnum *Bartholinum* pro Nugatoribus ſtantem, cum tamen nupero ovarii invento favere videatur, magnus mihi erit Apollo ſi quis mihi demonſtret viam, per quam ingrediatur ex ovario in ſtomachum, qua via quæſo ſemen muliebre in ventriculum pelletur? mirari, inquam, ſatis non poſſum, quod magnus ille vir ſtet pro veritate hiſtoriæ *Salmuth. Cent.* 5. *hiſt.* 38. ubi etiam felem per os peperiſſe commemorat, ut lector de veritate judicet, integram enarrabimus hiſtoriam quam dictus Salmuth non ex autopſia, ſed ex relatione aliorum refert *Cent.* 3. *obſ.* 94. *Juvenis quædam fœmina in civitate imperiali infantem, digiti longitudine maimis cum doloribus, ſummoque vitæ diſcrimine per os enititur mortuum* 13. *Julii* 1605. *mulieres adſtantes ſcatulæ includunt, & ſepeliunt; Ampliſſimus vero ſenatus, poſt quam hoc reſcivit, refodere infantem, eumque in honeſtorum virorum præſentia aperire jubet, quem omnibus membris humanis tam internis; quam*

ex-

externis vere constare cognoscunt, & paulo longioris digiti vix excedere quantitatem deprehendunt. Puerpera ea de re interrogata, & examinata constanter affirmavit, maritum semper cum illa per os coivisse, & sperma in fauces immisisse, sibi utpote a natura plane simplici, sicque a marito persuasæ facile, primo de alio modo coeundi nihil prorsus constitisse, donec a vicina quadam, cui de eo aliquando communicasset, aliter edocta fuisset, atque se ita a marito delusam fuisse, postmodum animadvertisset. Vicina quidem illa & aliis hæc retulit, sed nulla ipsi ob nimiam & quasi fatuam mulieris illius innatam simplicitatem fidem adhibere voluit, donec veritatem tempus in lucem eruerit, atque eas convicerit. Ipsa relata fæminæ simplicitas, præterquam quod nomen celatum sit constanter historiæ veritatem refellit, quis, nisi peponem habeat pro corde, credat, fæminam, quæ se coniungit viro, non aliquali libidinis œstro cieri, quæ ipsam satis docebit locum partis, cui remedium amoris sit adhibendum: Si autem vera sit historia, ille infans non viribus naturæ ex illo generatus est semine, sed vel miraculose per Deum, in cujus sola potestate est mille modis producendi hominem, ut scelus tam impii hominis, Naturæ pervertentis ordinem manifestetur, ut alii, si forte diabolus suggerat propter pœnam condignam a tali peccato averterentur, vel a dia-

bolo, ut tam ſimplicem fæminam in deteſtando illo peccato detineat, vel forſan per mariti adulteri & meretricis aſtutam fraudem embryo ab ipſa vel alia enixus in matulam inter vomendum tacite conjecit, in quam evomuit, ut fatuæ uxoris & ſuæ impiæ libidinis uſum aleret. Ut veritatem caſus in natura poſſibilis tueatur *Bartholinus* hæc ibidem profert verba.

Uterus embryoni nihil præter locum & calorem tribuit. Cum pace tanti viri dixerim hæc nimis imprudenter effata, nam primo confert uterus embryoni ſanguinem per quem nutritur, qui brevi poſt conceptionem apparet non ſolum in puncto ſaliente, ſed in rubicunda & molli ſubſtantia in ſuperiore parte carnoſa chorio affuſa, in quo mox poſt conceptionem quædam lanuginoſa hepatis uterini lineamenta conſpiciuntur, quæ ex ſemine muliebri efformari, communis docet opinio, nam ſemen maternum, ex teſtibus muliebribus in uterum, non in ventriculum effundi poteſt; Secundo tribuit aliquod fermentum ſpeciale cum determinato caloris gradu propter ſpecificam fluidam & ſubtilem ſubſtantiam per poroſam uteri fabricam longe alio modo modificatam, quam per poros ventriculi aliorumque viſcerum, quod aptum eſt ſeminis particulas & non alias ſubigere & diſſolvere, & in ſanguinem reſolvere, pergit ſic.

In

In ſemine enim generationis latet principium, quod ſe exerit quocunque & cujuſque loci calore. Contrarium docent experimenta Botanica, quæ plantarum ſemina non quocunque loco vel quovis calore geminare docent, multo minus perfectiorum animalium, in quibus ſeorſim ſpectatis non latet generationis principium, ſed tum demum fœcundum eſt ſemen, quando ſeminalem utriuſque ſexus virtutem complectitur, quæ complicatio non in ventriculo, aliiſve partibus, ſed ſolo in utero abſolvitur. *Bartholinum* refellit vetularum uterus, quarum calor ſemem maſculinum in gremio admiſſum non exerit in actum. Notum eſt Chymicis, præcipuum artis myſterium conſiſtere in directione caloris ſecundum gradus juxta propriam cujuſque rei naturam. tertio.

Ita ſemina herbarum non in terra tantum, ſed etiam in tabulato, parietibus, arboribuſque germinant ſubinde decidua. Hoc nunquam obſervatum eſt, niſi aliquid terrei vel ſaltem aquei parietibus adhæreat, quod locum matricis ſupplet, & in murorum, arvorumque inſtertiis ſemper aliquid terræ, calciſve invenies, cui ſemen ſua germina æque debent ac calori. obſtupeo talia tanto dici viro, ſic totus naturæ ordo inverteretur, & ſemen humanum, ferme ut ova excludi poſſunt, fornace, vel vitro, vel ut ſumptibus parceretur, ligari in pyxide ſub axillis, ut ova bombycum,

magna enim est dissimultudo inter semina plantarum, insectorum, & perfectiorum animalium, quæ ultra calorem naturalium, certum requirunt mutuarum causarum apparatum.

Ejusdem ponderis sunt rationes, quibus *Borellus Cent.* 1. *obs.* 28. veritatem pisciculi in digito nati, mediante aculeo piscis piscatoris digito casu infixo tueri nititur, his verbis, *In quibusdam animalibus semen non tantum, in testiculis continetur, sed quandoque ad caput, vel ad alias partes redundat, ut in quodam serpentum genere qui ore coeunt, imo etiam per totum corpus quandoque dispergitur, tunc enim semen ideam totius corporis referens ad universam cutem redundans, si in locum matrici analogum incidat, sibi corpus prædestinatum & solitum effingit sicque in digito supradicto facere potuit.* Hæc historia fidem longius superat, ac illa *Heredias* de spina rubi pastoris costæ infixa & quotannis germinante, nam quædam arbores per surculos æque germinant, ac per semina, & vegetabilium semina in universum seminalem maris & fœminæ virtutem ob denegatam sexus differentiam in se complectuntur, ubi pisces non nisi per ova maris lacte aspersa sese multiplicent, nec ulla alia pars datur in piscibus, quæ commodum virtutis seminalis masculini est receptaculum præter ova; quæ sola tum intra quam extra fœminæ piscis cor-

corpus fæcunditatis matrix eſt. Certe oratorie magis admiramur ea, quæ a natura facta ſunt, quam dicimus, a qua cauſa fiunt. *Borellus* eandem procul dubio frequentavit Scholam, quam illi Medicaſtri apud *Fallopium*, qui matronas a crimine adulterii vindicaturi, judicabant illas illud turpe fœdæ luis contagium contraxiſſe aqua benedicta infecta, ſed per aliud, credo, aſperges. Imo ſecundum hanc Philoſophandi methodum quidam Laicus ord. S. Franciſci in Brabantia pro ſimpliciſſimo habitus magni mereretur Philoſophi nonomen; qui, ut monaſterium magno expenſarum ſublevaret onere, halecum ova e menſa collecta in horto ſerebat, & magnam halecum germinationem magno deſiderio raptus exſpectabat.

Admirationem ſuperat hiſtoria, quem refert *R. P Leonardus Bertrandus Loth* ordinis Prædicatorum in ſuo libro reſolutionum Theologicarum illuſtrium difficultatum contingentium in Belgio edito anno 1653. *tractatu* 15. ſub hoc titulo; *De quodam Belga* formato ex femore viri fol. 374, affirmat ex quodam authentico teſtimonio & auctoribus fide dignis, quod anno 1350. quidam *Ludovicus Raſcel* in dextro femore habuerit intolerabilem dolorem, & poſt novem menſes exierit ex illo quidam infans vivus, qui baptizatus eſt, & vocatus ſicut pater ejus Ludovicus, poſt aliquod

tempus mortuus est, & late disputat, utrum ille puer sic formatus contraxerit peccatum originale, in quo casu inter sese acerrime præliantur Theologi, singulis pro sua assertione magnæ auctoritatis viros citantibus, sed veritas istius casus non est petenda ab Ecclesiæ Doctoribus, sed haurienda ex Naturæ libro, quæ evidenter dictat, hunc casum juxta naturæ leges de humano genere propagando in Adamo præscriptas esse absolute impossibilem, cum dicatur fuisse vivus; verus homo & alioquin juxta modernum Naturæ Statum possibilis est carnea excrescentia in femore viri, quæ externam hominis figuram referret, ex diversa materiæ nutritiæ modificatione, ut quandoque observamus in radicibus bryoniæ, quales hæ quatuor figuræ ad vivum depictæ exhibent, quæ centum ducatonibus emptæ per omnes terras ab emptore spectandæ circumferebantur: Sic in lapide Sardonyches tam bene elaboratæ offenduntur imagines, ut pro elaboratissimis artis speciminibus potius, quam simplicibus naturæ operibus æstimari possint. Si itaque historiæ de vivo infante, femore viri egresso, veritas subsit, dicendum est, quod ille puer non sit generatus, sed creatus a Deo, ut creavit Adamum ex gleba terræ, Evam ex costa Adami, ut ostendat potentiam creandi homines non esse astrictam terræ, vel ossi nam mille modis homines de novo producere potis est,

M
trum
n ori-
præ-
tione
veri-
e Do-
, quæ
æ le-
damo
cum
oquin
lis est
æ ex-
iversa
ando-
quales
exhi-
e per
umfe-
n bene
o ela-
quam
ossint.
re viri
od ille
o, ut
am ex
reandi
ſi nam
e potis
est,



est, & consequenter caro istius pueri non fuit de carne & semine Adami, neque ille obnoxius peccato originali, nec ejus filii, si supervixisset in gratia Dei.

CONCLUSIO. Uterus est solus & unicus locus generationis molarum. Si certes pro tubis Fallopianis, cogita, esse partes.

CAPUT XV.

De Tempore Gestationis.

Fœtus perfectus differt in eo a *mola*, quod ille præfixum habeat exclusionis terminum, hæc vero non. Nam, licet humanæ gestationis duratio ad septimum, octavum, nonum, decimum, imo secundum aliquos & undecimum usque mensem protrahi possit, ultra illos limites non extenditur, attamen intricata satis quæstio est de illa humani partus temporum diversitate, quare scilicet cum reliquis animantibus singulis unum & singulare, homini solum multiplex datum fuerit, nos equidem judicamus humanum quoque partum, non secus ac reliquorum ammalium suum habere statutum tempus, & insolitas istas anticipationes, vel postcipationes in humano partu obvias magis esse, adscribendum humanæ libidini, qua impletæ uxores æque admittant maritos ac vacuæ, in qua palestra per inordinatos corporum motus

tus embryonis turbatur oeconomia, qui, si sunt rabustiores, septimo quærunt exitum tumultuanti parentum concussione irritati, ut se istis exonerent molestiis, imbecilliores ob continuam in hoc amoris certamine spirituum dissipationem diutuis sæpe ultra statutum tempus morari coguntur, utpote ad aperiendum uterum inopia spirituum in sufficientes; verum mola per plures annos fixum in utero sæpe retinet domicilium, ut *Hippocrates lib. de steril.* §. xx. ad duos & sæpe tres annos extendi docet.

M. Gatenaria de cogn. ægrit. & cur. cap. de cur. molæ matricis ita loquitur. Nota quod sicut hæc mola generatur in matrice, ita etiam aliæ res generantur præter naturam, ut testor me vidisse in quadam muliere papiensi, quæ putans se esse prægnantem, post duodecim menses emisit frustum carnis satis magnum, & multa alia parva. *Joannes Trengius* in epistolis narrat de sereniſſima Daniæ Regina Elisabetha, ut & de muliere Daventriensi, quæ per annum molas gestaverat, a quibus ejus opera utraque liberata est.

Petrus Forestus Obs. 60. lib. 30. Rustica mulier in Waterlandia, multo tempore carneam gestabat molam in utero aliquot etiam annos, plus minusve sex, ita ut tandem in hydropem conversa fuerit, doloribus tandem supervenientibus, iis illa tamen remediis quæ ad hydropem

faciunt, a me curata fuit, tum hydropem carneamque molem excrevit. ita etiam a me in gallia Pithueris curata fuit, & altera mulier, quæ prope Pithueros habitabat, & per triennium molam geſtaverat.

Duretus in Comment. ad Coac. pag. 478. vidimus molam annorum quindecim, erat autem rotunda pedes tres cum dodrante; eam geſtaverat mulier abdomine utriformi, quale eſt hydropicorum, hac mortua & diſſecta prodiit mola vivens, & incorrupta, quam conceptam & geſtatam in utero per quindecim annos credere adducor, quod mulier eſſet vitæ integræ, & notæ cumprimis pudicitiæ, nã ſine coitu non fit coagmentatio molæ, quidquid nugentur ſophiſtæ linguarum, & naturæ ignari. Hoc fuit judicium Hippocratis, Galeni, & Ariſtotelis, quorum auctoritas non me frangeret, niſi eorũ ratio plus valeret ad comparandam docilitatem, & fidem.

Pareus lib. 23. *cap.* 34. *narrat* de uxore Guilielmi Rogerii vaſorum ſtanneorum figuli in ſancto Victoris vico, quæ molam per ſeptem decim annos circumtulit.

Nicolaus Sermone 6. *tract.* 3. *cap.* 20. Vidi, inquit, uxorem Franciſci Gabrielis paſſam molam plus quam viginti annos, quandoque etiam protenditur ad finem vitæ.

Marcellus Donatus de Medica Hiſtoria admirabili ita loquitur: Quod & nos pariter ſemel vidimus in Sigiſmundo currus ductoris uxore

uxore anno 1572. menſe Septembri, quæ cum fœtum maſculum nulla affectum injuria peperiſſet, adhuc prætumido ventre exiſtente, ita ut obſtetrix de altero fœtu dubitaret, decimo ſeptimo die a partu carneam molam pueri decem annorum caput ſuperantem excrevit.

Alexander Bened. lib. 25. *cap.* 34. Vidimus mulierem Genuenſem ad vitæ uſque exitum geſtare molam. Idem confirmat *Ariſt. lib.* 4. *de gen. anim.* quin & tota vita durat hoc vitium, ut & ſeneſcant, & commoriantur, & ejuſmodi exempla paſſim proſtant.

Commentatores in inquirenda tam diuturnæ *molarum* in utero moræ cauſa anxii, varii varias longe petitas afferunt rationes, nos omiſſis aliorum opinionibus, & obviis contenti judicamus nullam aliam eſſe cauſam, quod *molæ* plerumque cum ſint immobiles, vel ſi ſint mobiles, eorum motus non ſit ſufficiens ad expultricem uteri facultatem ad excluſionem irritandam; quod autem non putreſcant, impedit earum nutritio, nam eodem ſanguine, quo in tantam excreverunt molem, conſervantur, licet enim non vivant vitam animalis, vivunt tamen vitam plantæ, ſi vero defectu nutrimenti putreſcant, non etiam tam diu in utero morantur, nam tum vel ſibi exitum, vel mulieri mortem parant; quæ vero in oſſeam, vel cartilagineam converſæ

ſæ ſunt ſubſtantiam proprietate ſubſtantiæ diu ſine putredine ſubſiſtunt.

CONCLVSIO. Mola poteſt per plures annos ſine putredine jus incolatus in utero poſſidere, imo ad exitum vitæ.

CAPUT XV.

De variis Molarum formis.

ADdmirari humanum eſt, quo uno potiſſimum ſigno diſcimus, pleraſque rerum naturas ignorari, quod ſi mens humana omnium foret capax, ceſſaret admiratio, nunc vero a tanta felicitate remoti, quoties opinione fluctuamur, in admirationem rapimur; Si quid cœlum novi oſtendit, ſi quid terra, ſi quid homo novi parit, cujus occulta cauſa ſit, novas ærumnas dicunt, & calamitates denuntiant. Hic igitur morbus primum terras tenuit, & quidquid ignorari neceſſum fuit, ad portenta venit, quidquid contemplationem & induſtriam ſuperat, pro miraculo habitum. Hujus generis una præcipue eſt mola, inſolitæ formæ Schema, fœcundi prolium partus plerumque pediſſequa, puerperarum cubicula, & oppidorum vicos admiratione replet.

Anna Jononis ex obſervatione *Foreſti lib.* 38. *obſ.* 61. uxor *Bartholomæi Simonis* mercatoris dicti, mulier ſi qua alia obeſa, attamen fœcunda,

da, cum aliquot menſes ſe putaſſet gravidam, poſtea dubitare cœpit, & poſt integrum annum adhibitis remediis molam carneam rejecit, quaſi oculis multis refertam, rotundam, multo ampliorem palma manus, imo ad duas ferme excedentem.

Geertrudis Foreſt. obſerv. 62. mulier ſi quæ altera procera, & pulchra admodum & fœcunda, cum ſe gravidam putaret, undecimo menſe peracto *molam* ſe geſtare ſuſpicabatur, quam poſtea caput roſtratum inſtar accipitris habentem vi quadam & maximis torminibus peperit, quam *molam* vidimus adeo duram, ut ferro incidi non poſſet.

Anno 1538. *menſe Feb. Cronenburgius* Medicus Colonienſis vidit Bononiæ mulierem, quæ tertio menſe abortiit, & una cum fœtu humano perfecte & rite figurato molam carneam ad magnitudinem fere Gallinæ ejecit, in qua caput figuratum cum roſtro inſtar aquilæ, ſed aduncum non erat, rictus cartilagineos utrinque deducere poterat, oculorum expreſſa erant veſtiga latere membranæ carnoſæ.

Levinus Lemnius lib. 1. *cap.* 8. *de occultis Naturæ miraculis.* Superioribus annis me uſa eſt mulier quædam inſularis, quæ cum ex nautici generis hominibus concepiſſet, in tantam tamque inuſitatam molem illi cœpit uterus intumeſcere, ut non videretur ſuffectura oneri. decurſo, exactoque novem menſium ſpatio, accita

accita obſtetrice primum magno molimine ac conatu maſſam quandam informem enixa eſt, quam ſuperfatatam poſt legitimum conceptum judico, cum utrinque duæ anſæ connexæ erant in brachiorum longitudinem ac modum exporrectæ, palpabat autem, illique vitale quiddam ineſſe viſum fuit, ut ſpongiæ & urticæ marinæ, poſtmodum monſtrum elapſum eſt ex utero, adunco roſtro, longe teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate. Id poſt primum lucis intuitum conclave ſtridoribus implet, atque ultro citroque diſcurrens latebras perſequitur, tandem mulieres pulvinaribus comprimunt ac ſuffocando perimunt.

Joannes Schenckius lib. IV. *de melis.* Cum ex Galeno declaratur *molam* eſſe carnem informem, qnæ in utero geſtatur, non intelligitur, eam omni carere forma, ſed humana tantum; quoniam ipſius *molæ* variæ & incertæ ſunt formæ & differentiæ: ego vidi alias molas obductas intertextas multis fibroſiſſimis ligamentis, quæ duræ quidem erant, ſed adeo viſcidæ & tenaces, ut nec gladio cederent. Alias vidi molliores his ligamentis carentes, quæ tamen erant fibroſiſſimæ, hæ aliquando orbicularem, aliquando angularem, aliquando oblongam, aliquando romboidem, & diverſam habebant figuram. Alias in ſpexi, quæ præter velamenta exteriora nullis fibris inter-

intertexta erant, hæque vere parenchyma dici potuiſſent, nec ullam propriam figuram receperant. Alias vidi, quæ quadam rudi ſimilitudine nonnulla animalia bruta referebant ad quorum conformitatem formatæ videbantur, quæ tantum vegetativa anima donatæ erant. Alias adſimilitudinem alicujus membri humani delineatas animadverti: præcipue honeſtam & nobilem mulierem, cum inſtantibus doloribus naturalis ſpectaretur partus, tres molas adſimilitudinem pudendi virilis formatas peperiſſe, quarum una erat notabilis magnitudinis naturalem quantitatem coli humani excedentem, reliquæ duæ erant minores, hæque nullis ad invicem communicabant ligamentis.

Philippus Salmuth Cent. 1. *obſ.* 65. Vxor I. R. cum gravida putaretur, oborto ſæviſſimo dolore, & aliis ſymptomatis graviſſimis molam tandem ejecit, cumque vero aliquid adhæc latere dolores, & alia indicia oſtenderent, empl. filii Zachariæ, ſive diachylo magno, itemque de meliloto, & aliis malacticis adhibitis, aſſumptis quoque intrinſecis uſitatis, & appropriatis, maſſam tandem carneam ejecit, ſimul excernens Scarabæos, tauros vocatos; eorumque cornua exactiſſime referentes. Quin & illuſtriſſimam motronam novi, quæ mures tantopere abhorrebat, molas aliquando mures repræſentantes excluſiſſe.

Idem

Idem observ. 62. Mulier quædam gravida, cum tempus justum & debitum pariendi adveniſſet, enixa eſt quinque vivos mures, qui ex utero mulieris intra manus obſtetricantis exſilientes in hypocauſto hinc inde aliorum murium more diſcurrerent. Horum quatuor ab aſtantibus ſtatim interfecti ſunt, quintum autem in angulo, vel rima parietis hærentem, felis, quæ tum forte fortuna in hypocauſto latitabat, comprehendit, & devorat; hæc poſtquam rabida in lectum proſiliret, in puerperam, extremum quaſi exitum ipſi minitans, unguibus jamjam involaret, & nullo modo ab inſtituto deſiſteret, tandem adſtantes illam interimere cogantur idque factum eſt Senæ 1596.

Similem hiſtoriam refert *Borellus Cent.* 11. *obſerv.* 73. ex relatione Lefebre, Regii Pharmacopæi peritiſſimi, qui mulierem vidit, quæ multoties mures partu edidit, quod mihi, ait, etiam ab aliis confirmatum fuit, qualia exempla etiam apud ſennertum leguntur.

Benedictus Silvaticus Cent. IV. *Conſ.* 53. Portento ſimile eſt, quid a viro præclariſſimo oculata fide nobis narratum eſt, illuſtriſſimam comitem quadragenariam plures quam centum molas & quinquaginta unico partu edidiſſe, variæ quidem figuræ, lacertarum, cochlearum, & cancrorum fluviatilium, non ſine profuſo ſanguinis fluxu. A quibus linguæ paralyſi cor-

correpta est, & totius corporis stupore, cum cachexia, & muliebri fluore, quorum causa nostram implorat opem, quo pristinam consequatur valetudinem.

Ex his apparet, quam lepidæ passim historiæ de molarum figuris apud auctores inveniantur, & non omnes esse placentas relictas, quid veri sub illis lateat, particulari exercitatione disquiremus.

CONCLUSIO. Multiformes dantur molarum figuræ.

CAPUT XVI.

De molarum Signis.

QUam obscura sint signa, quibus mola evidenter distinguitur a vero fœtu, patet ex historia magni nominis Medici *Gradi*, qui in propria uxore se deceptum fatetur. Uxor mea, inquit, annorum 33. vel 34. bona habitudine, sanguinea, bona etiam compositione, postquam prius Deo dante tres habuisset filios, at filiis postea orbata, & tali, tertio nempe filio 14. annorum, mediocris ingenii, & bonæ spei, adeo mater vehementer præ tristitia continua per tres quatuorve menses, quasi amens & debilis discursu affecta est: tandem ei successerunt signa veræ imprægnationis, unde incipit leniri de afflictione mentis ob defunctum

filium, incepit quoque in operationibus animalibus, & naturalibus rectificari, restrictis mensibus venter paulatim intumescebat, & increscebat, cum bonitate caloris matricis, & æquali quasi pondere ventris & dorsi, & cum reliquis accidentibus, quibus ipsa olim prægnans afficiebatur, salvo quod in singulis temporibus debitæ suæ menstruationis ordinate parum & valde modice sanguinis & menstrui manifestabatur, cum tamen ante apparitionem signorum imprægnationis copiose multum menstruabatur, succedente tertio mense ad finem, vel in principio quarti percepit ipsa quasi motum concepti, ut alias consuevit tempore imprægnationis cum accidentibus reliquis, & appetitu, & bonitate coloris ad melius conversis, & ita successive indies amplius manifestabatur motus, ita quod septimo & octavo mense, & manifestius in nono motus velut infantis cum inspissatione aliquoties impetuose sub manu comprimente, & ampluis sæpe etiam ipsa jacente, & aliquoties stante, manifestabatur. Visus situalis motus rei globosæ in utero, ad extra aliquoties versus ad sinistrum, & quasi depressio, & crescentibus semper in ea accidentibus ad bonum, & de appetitu, & bonitate coloris, crescente sola gravitate ex pondere circa partes inferioris ventris, & inhabilitate ad motum progressivum, ut in reliquis prægnantibus communiter evenire solet in dictis mensibus.

Ipsa

Ipsa tamen aliquoties leviter dubitante de vera imprægnatione, propter id solum, quod singulis suis temporibus parcissime menstruabatur, cum tamen alias cum esset prægnans, nullo modo menstruaretur. Hoc tamen mihi, & aliis doctissimis viris ad augmentum fidei prægnationis faciebat, ut idem faciet tibi, si considerabis, quæ dicta sunt. Et ita his signis confirmatus sum in opinione veræ imprægnationis, cum judicio etiam multarum matronarum in his expertarum, ipsa etiam annuente accepimus in domo nutricem in principio noni mensis, qui erat proximus ad partum, & intra octo dies peperit unam filiam, & eam tradidi, ut nutriretur sub alia nutrice, sustinendo lac enixæ cum aliis adventitiis lactantibus & sugentibus lac ejus hoc fine tantum, ut purgato lacte ejus tempore partus uxoris fœtus haberet sibi nutrimentum conveniens. At tandem transivit nonus mensis, decimus, & undecimus cum continua expectatione futuri proximi partis; tandemque transivit mensis decimus quartus continuatis semper accidentibus apparentis veræ imprægnationis, & reservando nutricem in domo, ut dictum est; post undecimum tamen cœpit spes minui, & diffidentia intendi, ita quod expedito decimo quarto, sublata omni spe, dixi ego consorti meæ, non amplius sperandum de prægnatione, quod nusquam legissem, veram imprægnationem ultra decimum quartum

menſem extendi poſſe; imo raro ultra nonum menſem, rarius ultra decimum, licet aliquoties mulieres, cum ſint mola affectæ in primis menſibus aut duobus, aut tribus menſibus, ſi imprægnentur, poſt veram imprægnationem, quod poſſibile eſt, ſicut poſſibilis eſt ſuperimprægnatio de mente Philoſophi, & aliorum: & tunc cum pariunt nono menſe, & ſimul cum partu naturali emittitur mola ſola, ſaltem ſi fuerit menſtrualis, tum dicunt mulieres ſe peperiſſe in duodecimo, licet partus inveritate fuerit in nono menſe. Verum tandem ſic nos deluſi de iſta prægnatione, ut ex una parte dubitabam de mola vera animata, & ſic quaſi de impoſſibilitate curæ: ex alia parte, cum operationes omnes in ea eſſent incolumes, & naturales, præter motivas, inſurgebat dubitatio, quod ibi non eſſet aliquid tale innaturale: nam in tanto tempore debuiſſet communicare nocumentum hepati, & reliquis membris. Et ita in facto fuit, quoniam intra menſem ſine medicinis aliquibus acutis, ſed cum ſola uſu pilularum aloephanginarum ſemel in hebdomade; remota eſt omnis detumeſcentia ventris, & inhabilitas motus, & permanſit perpetuo ſana. Neque ego verecundor dicere, me caſum illum non intellexiſſe, quoniam & ſapientiori Medico Avenzoari, cui cum non eſſe in dignus ſolvere fimbrias calceamentorum, idem contigiſſe legitur de quadam prægnante, nam

nam ipſe refert trigeſima ſexta theſi. Erat in domo Haly, filii Joſeph mulier, quæ conceperat, quod mihi erat incognitum, ut dixit cui dedi medicinam mirabilis fortitudinis, in qua nullus poſſet exiſtimare, evadere ſine abortu, bibendo etiam parvam ejus menſuram, & tamen nihil malitiei & perturbationis pertulit, & in debito termino peperit infantem a læſione immunem. Dolui errando, quod illi dederam Medicinam talem contra mandatum artis, ſed feci deceptus, id eſt ignorans, ſubjiciamus ergo cervices noſtras, & ſuperbiam noſtram, neque nos exiſtimemus, nos omnia poſſe ſcire, non propterea deſiſtamus a ſtudiis continuis. Hactenus *Gradius*.

Adeo vero fallax, & illuſoria eſt hæc aſſertio, ut per initia in quibuſdam mulieribus de fœtu concepto ſuſpicio ſit. Quod de propria uxore etiam teſtatur *Franciſcus Valeriola*, quæ quum neſcio quid motionis in ventre percipere ſeſe affirmaret, turgerentque mammillæ, & venter, & cibi faſtidium premeret, utero plane ſe gerere exiſtimabat, ubi jam ad ſeptimum octavumque menſem geſtationis molæ perveniſſet, & gravida ſit uxor, ſeque in utero geſtare teſtatur, angetur fœtus, & ſuo tempore motitari incipit, nempe paulo poſt tertium menſem, quod quum mihi permirum videtur, vix uxori fidem habebam, etſi probe Hippocrate edo-

ctus, noveram, ſuperfætare poſſe mulieres.

Signa dignoſtica, ut ex dicta patet hiſtoria, ferme coincidunt, cum ſignis veræ imprægnationis, præcipue primis conceptionis menſibus, ſed in eo differunt, quod ſymptomata concepti embryonis paulatim decreſcant, & ſecundam prima, media, vel ultima imprægnationis tempora; & non modo in gradibus creſcunt, & decreſcunt; ſed etiam alterantur in modo, *Molæ* vero ſigna continuo increſcunt, nec illas circa tempora variationes habent, dictis ſignis hoc magnam certitudinem affert, quod illa ſymptomata ultra conſuetum pariendi tempus ſine partu continuent.

Mola manu compreſſa ſtatim cedit loco, ſed ſimul ac abdomen a manu liberum eſt, mox in eundem recurrit locum, ſed fætus neque cedit, neque recurrit.

Figura uteri ex molæ incremento dilatatur æqualiter in omnem dimenſionem, ex fætus vero veri augmento acuminatur verſus umbilicum, coarctatis molliter lateribus.

In mola nulla partium diſtincto per diligentem hypogaſtri contractionem animadverti poteſt, ſed velut globus quidam verſus fundum vergit.

In mola cibi faſtidium, non ut in fætu, pari paſſu ambulat, ſed cum majori virium dejectione, eſtque magis continuum.

In

In mola immodicus appetitus non ceſſat cibi deſiderati uſu, ut in fætu.

Molam ordinarie dolor punctorius circa uteri regionem ſubſequitur.

In mola papillæ turgeſcunt, ſed non generatur lac.

Mola majorem gravitatis ſenſum ſecum fert, quam fætus.

Mola etiam alio motus movetur modo, quam fætus, quippe illa ut plurimum ex accidenti movetur, quando fœmina ſe de loco in locum transfert, vel quando comprimitur; & diverſitatem modi motus, quo movetur mola, ſenſu melius percipiunt, quam voce exprimunt mulieres.

Signa prognoſtica ſunt, quod ſint difficilis curationis, & plerumque hydrops, vel atrophia ſubſequatur in magnis molis.

Primis menſibus citius curantur, quam temporis progreſſu, attamen non derelinquendæ miſeræ mulierculæ, nam certum eſt, quod nec lacrymis, nec ſuppliciis muliebribus Deorum auxilia parentur, ſed quod vigilando, agendo, probe conſulendo proſpere omnia cedant; unde bene nos admonet *Galenus*, generoſi eſſe Medici, difficillimis caſibus, & eventis, quæ ſæpe in morborum decretoriis accidunt, non terreri, ſed conſtanter adverſus morbos ire, naturæque commotiones ſolerti indagine perſpicere, remediiſque promptiſſi-

mis conſtanter morborum vehementiæ reſiſtere, & non verbis hominum, ut nunc paſſim, demulcere animos, & neglecto *Hippocratis* juramento, & conſcientiæ dictamine praxim juxta fatua fœminarum judicia dirigere, & ne aliquod contra vulgi ſenſum commiſiſſe viderentur, omittunt totum, ne male apud mulierculas, alioſque non intelligentes audiant.

CONCLUSIO. Mola ex ſupradictis ſignis ſufficienter cognoſcitur in fœminis, quæ plures peperere proles, quæ diverſitatem molarum motus a motu viventis fœtus ipſamet ſenſu percipiunt, & diſtinguunt.

CAPUT XVII.

De molarum Curatione.

HIppocrates breviſſime totam curationis hiſtoriam complexus eſt; ab univerſali indicatione exordiens, primo totum corpus juxta temperamenti præſentis conditionem, ægræque vires evacuandum eſſe præſcribit: deinde emollienda, laxanda, aperienda vaſa & uteri ligamenta, deinde facultas expultrix irritanda, quæ omnia eo ſpectant, ut mola quam citiſſime & modo tutiori utero excludatur. Hiſce non juvantibus poſtremo ad Chirurgiam deveniendum; quam curam multi ignari reſpuunt, ſed

ſed quia, turris non dimovetur a flatu, a medico intelligenti ſemper proportio inter magni morbi magnitudinem, & remedii efficaciam ſervanda eſt, unde ſi prævideamus, quod pharmacis intentum obtineri nequeat, manus uſurpandæ ſunt.

Remediorum formulas præſcribere, ſupervacaneum, quæ ubique proſtant, ſed ſeligenda exquiſitiora, quæ morbo, perſonæ & tempori convenientiora judicamus. Hæc unica ſit practicorum cautela, quod non nimis diu hæreant in medicamentis per os aſſumtis, ex purgantibus autem illa eligenda, quæ ſimul emetica ſunt; melior enim ſucceſſus e vomitoriis ſperandus. Cacochymia univerſali ſublata, mox ad peſſaria, clyſteres uterinos, ſuffumigia, vaporaria, quorum fumus & vapor mediante ſubtili tubulo, in internum uteri orificum immiſſo, in ipſam matricem pellendus eſt, ut eo modo facultas expultrix fortius irritetur; nam in hiſtopicis multo magis confidendum quam in pharmacis, quæ per os ingeruntur.

In operatione Chirurgica ea adhibenda eſt cautela, ut primo certi ſimus, an ſit mola nutritionis, an generationis; prior enim non attingenda, niſi oculis pateat certa virginitas, ſed certo illo diſcrimine in maritatis major difficultas, quia utrique obnoxiæ; quas ut illis diſtinguit menſtruum; mola *nutritionis* comitem habet fluxum, *generationis*, non item.

In viduis poſt nonun a morte mariti menſem par eſt ratio, ac in virginibus: in hac operatione non tantum periculi, ut vulgus apprehendit, modo inſtrumenta ſint rei peragendæ convenientia, & melius manu obſtetricis abſolvitur, quam Chirurgi, modo ea in re ſit bene inſtructa; nam in manuali operatione efficacior & certior molas curandi conſiſtit methodus, quia, cum mola ſit informis carnea maſſa, dura, ſolida, vitæque expers, non poteſt inceptos naturæ inſtinctus, vel ante factos ſtimulos ad facultatem expultricem irritandam coadjuvare; quare Practicorum conſcientiæ incumbit, hanc operationem ejuſmodi ægrotantibus, quæ alias diuturna corporis enervatione, dolorificiſque cruciatibus lenta morte enecantur, omni meliori modo perſuadere, quia eſt operatio, quam nullum comitatur periculum, nam in puerperis, aliiſve, in quibus os uteri laxum & molle eſt, ſola digiti obſtetricis immiſſione, in virginibus vero, aliiſve, quibus durum & conſtrictum internum eſt uteri orificium, ſubtili argenteo inſtrumento abſolvitur; quam operationem nos docet magnus Harvæus in ſuis obſervationibus de partu, qua non ſolum varias liberavit molis, ſed etiam deſperatiſſime uterinis paſſionibus decumbentes ab orco advitam revocavit, quia aperto interno uteri orificio omnis generis putrida & male olens materia effluebat, quæ tam terribilium ſympto-

ma-

matum fuit materia, quam ſtruſtra alii medici internis pharmacis expellere conati fuerant.

CONCLUSIO. Molarum cura potius manuali peritarum obſtetricum, vel Chirurgorum operatione aggredienda eſt, quam pharmacis.

CAPUT XVIII.

An Virgo abſque maris copula poſſit generare molam.

PHiloſophi fœminam paſſim ſterilem appellant virum, quapropter multi ex noſtris imprudenter egerunt, dum ex ſiniſtra quorundam Auctorum interpretatione rem tam certam indubium vocarunt ad pudicitiæ furtim corruptæ maculas quarundam matronarum delendas; Quin Natura ipſa, ſi loqui poſſit, ſe indigniſſime ferre clariſſimis verbis teſtaretur ſibi diſtinguenda confundi, ſcitu rientium certant ingenia, rem deciſuros confidimus, ſi Phœbus faveat, non enim hujus, vel illius auctoris ſumus mancipia, ſed ut res planior fiat, naturæ liber aperiendus, ex quo accuratior hujus ſæculi nos docet anatomia, ſanguinem menſtruum extra imprægnationem ſtatis ſuis periodis non interiores ſubire uteri lares, nec tinctura ſua candidum ſpumoſæ veneris inquinare domicilium, ſed viam eligere per fines

fines vaſorum, in collo uteri deſinentium, & per dehiſcentia tubulorum orificia, qui ſunt arteriarum canaliculi, quæ per anfractuoſos ductus uteri ſubſtantiam inter utramque perreptant membranam; ſi itaque ſanguis non in uteri illabatur caveam, non poteſt & ibidem in carnem tranſmutari; ſi forte fortuna ob morboſam diſpoſitionem in ejus inſtillet lares, ſolennia ſanguinis tranſvaſati celebrabit, & prius coagulatus concreſcet, quam in carnem mutatutus ſit; imo in ipſa ingravidatione ne gutta quidem uteri ſubit thalamum, non enim tam ſordida eſt animalium œconomia, ſed ſanguis ex uteri tubulis per vaſa hepatis uterini in fœtum ordinate transfunditur. Semen muliebre maxima ſaltem parte, vel forſan totum, quod extra copulam effluit, uterum præterit, & per clitoridem excernitur, quæ ſedes libidinis, levi attactu per continuum a teſtibus ductum ſemen ejaculatur, ſed ductus a teſtibus in uteri cavitatem necdum patent oculis, provide quidem, ut Natura delicatulum hunc ſexum horrendis corrupti ſeminis ſymptomatis ſubtrahat, nam hoc potius pellit quam movet venerem, hinc tubas fallopii patulas certa diſtantia a teſtibus ſecrevit, fimbriiſque injurias avertentibus donavit, ne tam facilis ſeminis in uterum foret illapſus, e quo tam difficilis elapſus; ſic provida Natura parens duas videtur ſemini paraſſe vias, unam libidinis excitandæ, al-

alteram explendæ, ſemen, fœminas ad amoris provocat palæſtram, foras per clitoridem excernitur, quod vero libidinem complet, non ſe ſola effundit mulier, ſed in viri amplexu, quo expanduntur tubarum fimbriæ, quibus ſemen e teſtibus muliebribus exprimitur, quarum expanſio non libidini, nec venereæ cogitationi, manuumve titillationi obſequitur, ſed ſolummodo naturæ actu generantis mandatum ſequitur: Si ergo natura muliebris à ſe ſola non effundat ſemen in uterum, nulla etiam ibidem metamorphoſis ex ſemine in carnem exſpectanda.

Verum enim vero ſi forte ſemen per ἔυρυν Hippocraticum, vel abditiores poros, alioſve ductus necdum detectos ipſum uteri ingrediatur thalamum, non equidem ejus converſio in carnem fieri poterit, primo, quia ſemen muliebre ex parte ſua non eſt ſufficienter diſpoſitum, ut ex ea ſola vel minima fiat generatio, nam requiſita ipſi deeſt conditio a mare perficienda, quia quæ diſtincta ſunt in ſexus, non temere diſtincta ſunt. Plantæ & quæ plantis vicinam habent naturam, animalia quædam exanguia, quamvis manifeſto non diſtent ſexu, aliquid tamen ſexui analogum ambitu ſuo claudunt: in ſeminibus omnium plantarum id, quod virtutem æmulatur maſculam, eſt in apice illo, per quem ſemen jungitur ariſtæ, lobo, folliculo, umbella, breviter conceptaculo ſuo,

quo

quo quovis ablato modo, ſemen infæcundum eſt. Hoc ita eſſe, ex fabis diſcimus; in illis enim datur, illud punctum nigrum, quod *hilum* vocamus, eſt id, quo mediante adhæret lobo ſuo, quo etiam abſciſſo faba nunquam germinat. hinc progreſſus eſt ad omnia alia præſertim frumentacea, quæ formicæ nonniſi arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant. Hoc didicerunt cum damno ruſtici: quotiens enim annua ſemina mandant terræ, fruſtranea fere meſſis ſpes eſt; non preciſe, quod ſpiritum exhalaverint, quam quod crebra illa verſione & agitatione atteratur cuſpis illa, in qua ratio formæ vel maris habitat. Vt itaque fiat nutritio, ante omnia ſanguis debet eſſe probe diſpoſitus, ut generatio, ſemen; muliebre, nec maſculinum ſeorſim non veri ſeminis meretur nomen, ſed tunc demum perfecti ſeminis induit naturam, quando utriuſque virtutis ſeminalis facta eſt in genitura vel conceptione complicatio, ut antea fuſius docuimus; ſi muliebre ſemen ſe ſola ſufficiat in utero ad novam carnis ſpeciem in mundi ſcenam producendi, quidni in ipſis teſtibus? in ductibus? in clitoride? &c. vel ſaltem quare ſemen maſculinum non gaudet illo privilegio.

Secundo, non datur in utero principium converſionis, quo menſtruum, vel muliebre ſemen in ejus illapſum aream, in carnis, vel ſanguinis mutaretur formam jam ipſa ſubſtantia

ma-

matricis, qnia extra ejus activitatis ſphæram eſt; fluctuat enim in vicino aere; intra uteri globum concluſo, quidquid ſanguinis illabitur infra propriæ ſubbſtantiæ poros, matrix etiam in propriam convertit ſubſtantiam: hæc autem nutritio, non generatio eſt. Non calor, quia ſolus calor non generat carnem, non enim ſanguis in fornace mutatur in carnem, nec ſemen in ſanguinem, ſicut ovum in pullum, quia calor ſolummodo virtutem ſeminalem ſanguinem & carnem formandi, in quibuſdam ovi fœcundi particulis deliteſcentem, excitat, & quaſi ſopitam in actum deducit, qua virtute non gaudent ova ſubventanea, nec ſemen muliebre, unde nulla ex illis generatio; quæ virtus a ſolo mare in fœminam in amplexu transfunditur, hæc eſt ratio, quare tam neceſſarius ſit ſeminis maſculini cum fœminino contactus, antequam fiat generatio, licet muliebre ſemen æque ac maſculinum omnium partium rudimenta complectatur, nam ſeipſum ſanguinem vel carnem tranſmutari non poteſt, quæ tamen ſeminis in ſanguinem converſio adeo neceſſaria eſt, ut clarum & diſtinctum de generatione formemus conceptum, ut viro intelligenti inconcepibile ſit, quomodo ſine ulla in nuda & vacua uteri area aliqua ſubſtantia carnoſa generari poſſet, ut alibi latius probatum dedimus. Dum ergo quotidiana experientia teſtetur, ſanguinem extra vaſa intra ipſam carnis ſubſtantiam, quæ tamen vir-

virtutem illum in se convertendi possidet, non in carnem, sed pus, aut heterogeneam mutari substantiam, quia in œconomia animalis nutritio non tumultuarie aut confuse absolvitur, sed distincto & accuratissimo ordine juxta leges mechanicas in Naturæ libro præscriptas, ut quidquid vel minimum ab hac deflectat regula, ut inutile pondus rejiciatur, & semen muliebre extra loculos elapsum horrenda sexui pariat symptomata, ideo nulla verisimilitudine nititur illorum opinio, qui carnem ex solo sanguine & semine muliebri in utero virginis generare posse docent; quorundam auctorum gravitate seducti, qui semetipsos jugulant, dum molam cum ovis subventaneis a Gallina virgine enixis comparant, nam ovum subventaneum non est massa carnea, nec ex illo ulla generatur caro.

Hæc claudicans similitudo diuturni literatorum belli causa fuit; magna enim disparitas inter *molam*, & ova subventanea, qui sensu, & ratione utuntur ovum subventaneum comparant cum semine muliebri & menstruo, non cum carne, ut illi male volunt, ex semine virili generatio, nam illud ovum nil aliud est, quam ipsissimum Gallinæ semen cum humore nutritio, nullo Galli spermate aspersum, qua crassa nimis, ast in mente concepta, similitudine delusi non potuerunt agnoscere discrimen inter molam nutritionis & generationis. In utroque genere Natura erroribus obnoxia, sed

lon-

longe diſtant novi entis productio, & producti entis incrementum, ut & inſolita novi entis generatio, & inſolitum entis generati incrementum. Illa molæ ſpecies, quam deſcribit *Kerckringius*, nullam patitur difficultatem, quippe illa prius embryonem conceptum præſupponit, quod ſine maris auxilio fieri non poſſe, omnes fatentur, ut omnis tollatur ſcrupulus non ſolum adverſantium argumenta, ſed & ſolutiones argumentorum, quæ in ſcholis pro noſtra opinione afferri ſolent, ſolutas in medium adducemus, ut judices tam eccleſiaſtici, quam ſæculares, ſepoſita *Pauli Zachiæ* auctoritate, & rationum examinato pondere, tutius & magis intrepide mentita corruptæ pudicitiæ pallia rejiciant, & veritatem pronuntient in cauſis quæ ad ſimiles virginum viduarumve caſus pertinent, ipſum *Zachiæ* exemplum imitantes, qui in prioribus libris conceptionem per diabolum in ſuis mancipiis defendens in poſterioribus re accuratius examinata ſententiam revocavit.

Objicies primo. *Mola, cum ſit caro, non habet aliam generationem, quam habet ipſa caro, quæ fit ex ipſo ſanguine, ergo ex calore ipſius ſanguis iſte conglobatur, & deinceps addito ſanguine fit nutritio, accretio, & augmentum.* R. prima carnis origo non fit ex ſanguine, ſed omnis caro tam vivi embryonis quam molæ prima ſua incunabula ſemini debet; verum

caro producta ex ſemine nutritur ſanguine, adeoque magnum latet ſophiſma in æquivocatione vocis, generationis, quæ tam late pro ipſa nutritione accipitur, qua propter ſenſus bene hoc modo diſtinguendi. Mola, cum ſit caro non habet aliam generationem ſive productionem in nutritione quam ipſa caro, quæ fit ex ſanguine, concedo. Verum ſi ſic infers, *mola cum ſit caro, non habet aliam generationem*, ideſt productionem in conceptione ſive generatione ſtricte dicta, *quam ipſa caro quæ fit ex ſanguine.* Negamus tunc veritatem antecedentis, quæ repugnat in illo ſenſu rationi, & experientiæ.

Objicies ſecundo. *Semen fæmineum, hoc ipſo quo eſt verum ſemen, continet rudimentum corporis, cujus eſt ſemen & conſequenter poterit a ſe ſolo exire in actum.* Eſt ſemen corporis fæminini quod non generat, ſed in quo generatur, & in ſuo genere eſt quidem verum ſemen, ſed non abſolute, vel non eſt perfectum ſemen, quia deeſt principale motus principium, quo ejus particulæ in ſanguinem convertuntur, qua prima metamorphoſi reliquæ actuentur, non enim calor ſupplere poteſt illum defectum, ſed maris contactus, quo geniales utriuſque ſexus ſpiritus reali unione conjungantur, cum enim hiſce genialibus maſculini ſeminis laribus careat, corpus fæmininum, non poteſt ſuo tribuere ſemini, quos non

non ducit in actum caloris incremento, ſed maſculini germinis additamento, non enim grana ſine germine non duplicatis etiam ſolis radiis germinabunt: Sic ſemen muliebre, quamvis omnium partium contineat delineationes, & in ſingulis particulis vim ſeminalem conveniens alimentum in ſui ſubſtantiam convertendi, nunquam exibit in actum generationis niſi prius virtute maſculina actuetur, nam non a ſeipſo, ſed ab alio moveri debet: mille ejuſmodi exempla dantur in natura, quæ tam diu exiſtunt potentia, donec ab alio actuentur, verus ignis exiſtit in ſilice; qui non exit in actum niſi chalybe excutiatur, ſulphur non concipit flammam etiam in calidiſſimo Hypocauſto niſi immediatus carbonis fiat contactus: Sic ſulphur muliebre nunquam aggredietur generationis actum, niſi ab igne maſculino accendatur. Si enim Natura fœminina ſufficiat ad generationem molæ ex propriis principiis, invitis etiam extorquebimus ſufficientiam ad fœtum; quia mas poſt contactum nihil tribuit ſed omnis ordinatio & articulatio in ipſa natura muliebri & ab eadem abſolvitur.

Objicies tertio. *Experientia docet molas frequentius cum vero conceptu, quam ſolas geſtari a mulieribus: mola ergo in prægnantibus, vel una cum vero conceptu ex eodem ſemine eodemque congreſſu erit generata, vel ſuperfœtata, ſed ſi mola ex ſemine virili procreari*

creari debeat neutrum dici poteſt. Non prius qua mola ex morboſo fit ſemine, verus non niſi ex ſano conſtat, abſurdum vero eſſet dicere ſemen partim morboſum, partim ſanum; præterquam quod ſi mola non ſolum ex morboſo ſemine; ſed etiam ex multo confluente ad uterum ſanguine, hoc in hujuſmodi caſu non poteſt habere locum, quia portio ſemmis ex qua verus conceptus generatus eſt tanquam calidior & robuſtior ea portione quam morboſam dixeris, ad ſe potiorem, & calidiorem & majorem ſanguinis partem attraxit, deficiente ergo ea ſanguinis copia, mola non potuit una cum vero conceptu generari: Non poteſt dici poſterius quia in prægnantibus, cum os uteri conniveat, & ſemen ex quo mola concipitur, & ſpiritibus & craſſius exiſtat quam oportet, non poteſt ad uteri cavitatem pervenire, & internum uteri oſculum penetrare.

Hæc objectio magis confirmat noſtram ſententiam, virginem non poſſe a ſe ſola concipere molam, nam facilis eſt hujus difficultatis ſolutio; primo non magis abſurdum eſt ſemen ejuſdem congreſſus partim eſſe ſanum, partim morboſum, quam ſanguinem eadem ſectione eductum: præcipue ſecundum noſtram interpretationem, quod morboſitas ſeminis, ex quo mola in prægnantibus, ſæpius ab extrinſeca compreſſione majoris fætus, quam defectu particularum proveniat. Deinde non

eſt

eſt abſurdum, quod in ſemine ejuſdem congreſſus non ſint tot cordis particulæ, quam ad corda duorum fœtuum requiruntur. Tertio illa attractio, qua robuſtior ſeminis portio maximam ſanguinis attraheret portionem, eſt imaginaria nunquam me de ſimili attractione legiſſe memini, ſed quidem de attractione uteri qua ſemen ad ſe alliceret. Quarto, ſupra probavimus menſtruum non concurrere in puncto conceptionis molæ, ſed prius ad molæ jam conceptæ incrementum; ſi itaque natura muliebris ſufficiat alendo gemellos, quid ni unicum cum mola fœtum? Ultimo illa ſeminis craſſities eſt imaginaria, ſi poros urethræ tranſmeare poteſt, quidni orificium connivens uteri?

Objicies quarto. *Si mola ex utroque ſemine generaretur, debet aliqua pars ſeminalis conſpici, at contra in mola nihil conſpicitur, niſi ſpecies quædam carnea, quam ex ſanguine generari conſtat nam tale quid ex ſemine procreatum eſſe dicendum non eſt, quia a privatione ad habitum non datur regreſſus, at ſemen ſanguis jam erat, ſi ergo ex eo caro generaretur, in ſanguinis naturam remeaſſe oportet.* Contrarium eſt verum nam dantur in mola membranæ, venæ, acteriæ cartilagines, & quæ juxta communem doctrinam ſunt ſpermaticæ, licet illa diſtinctio dudum Scholis ſit exploſa, nam omnis pars ratione originis eſt ſpermatica, ratione incrementi ſanguinea. Secun-

do illam maximam non generaliter esse veram, docent meteora, docent Chymici, qui Mercurium arte suam mille formas redactum tam exacte sæpe, ut ne vestigium appareat, levi artificio in pristinum, educunt statum. Ultimo iste seminis in sanguinem regressus non est superfluus sed necessarius, non tamen ita intelligendus, ut tota seminis quantitas in sanguinem verteretur, sed pleræque, & præcipuæ illæ seminis particulæ, quæ sanguinis complectuntur idæam, nam debet esse aliquod medium facta jam conceptione, per quod motus in palæstra amoris semini impressi, ordinate ad singula partium rudimenta deferantur, & in quo spiritus geniales in σανδσιαομο in sacram spumam transfusi conseruentur, quod necessario debet esse corpus fluidum, & sanguine convenientius & certius afferi non potest, qui primus omnium in conceptu conspicitur non bene certe inferret, qui judicaret infantem debere sugere sanguinem ex ubere matris, quia lac jam sanguis fuit, & frustra in sanguinis naturam regreditur, datur enim necessarius ad conservandas animalium species quidam circulus inter nutritionem & generationem, ut materia nutritionis assumat formam materiæ generationis, qua iterum relicta pristinam induit naturam & e contra, ut latius supra explicuimus.

Objicies quinto, *Experientia docet, non*

solum

ſolum abſque ſemmine virili generari carnis fruſta, ut mola eſt, ſed animalia viventia, ex ſolo nimirum calore, quocunque & materia. Si ergo hoc quod majus eſt abſque ſemine generatur, quid obſtat, quo minus mola abſque ſemine, ſaltem virili generari poſſit? Quin & alias carnoſas excreſcentias, & in utero, & alibi obſervamus abſque illo ſemine generatas ex ſolo ſanguine. Negamus ulla animalcula vel etiam vegetabilia generari ſine ſemine, quia generatio eſt rerum ortus ex ſemine, quæ ſine illo in ſcenam mundi prodeunt, dicuntur produci, qui bene diſtinguit, bene docet. quæ regula erat etiam obſervanda circa carneas excreſcentias, nam illa eſt mola nutritionis, cujus ortus toto genere differt ab origine alterius; hæc cum virginum pudicitia compatibilis, illa in caſto & puro gremio tyrannidem exercere nequit; nec generaliter verum, qui poteſt majus, ille poteſt minus, homo generat hominem non canem; terra generat vermes, arbores, ergo nivem, glaciem, ſtellas.

Objicies ſexto. *In mola ſemper generatur caro quædam ejuſdem ſemper conditionis, quod eſſe non deberet, ſi ex morboſo ſemine generaretur, nam quod morboſum eſt, non ſemper eodem modo morboſum eſt, ſed multum evariat, deberet etiam, ſi quid ex eo gignitur variare, cum ergo effectus ſit idem ac uniformis,*

dicendum videtur, quod ab agente naturali fit, at a ſemine virili non poteſt eſſe, quia ex hoc, ſi muliebri admiſceatur, generaretur conceptus naturalis ac verus, ergo potius a muliebri ſemine, virili deficiente, procreatam eſſe, dicendum eſt, nam quia hoc agens naturale eſt, id circo uniformiter ſemper agit, quia vero a virili deſtituitur, idcirco non verum, ſed mendoſum conceptum gignit, quod quidem per accidens eſt, operatur enim quantum ex parte ſua, nec niſi ob defectum alterius in operando deficit. Ex antedictis patet, molam non eſſe carnem ſemper ejuſdem conditionis, nam dantur viventes, & vitæ expertes, utraque diviſæ ſubſtantiæ variaque formæ: ex quo liquet, quod ſemen morboſum, e quo mola, non ſemper eodem modo morboſum ſit; quoad ſpeciem ſcil, ſed quoad genus ſemper; ut etiam in omnibus aliis morbis; quia eſſentialis morboſa ſeminis ad molam diverſos habet gradus.

Objicies ſeptimo. *Ponamus, nullam fœminam unquam abſque viro concepiſſe molam, eſt tamen poſſibilis, nam in conceptione duo motus conſiderandi, prior colliuteri, & ipſius etiam corporis uteri attrahentis, & alliçientis ad ſe virile ſemen, ut in ingerendis cibis ſtomachus, aut gula factitant, ſecundus motus eſt vaſorum ejaculantium ipſius mulieris ſemen, ad uteri cavitatem effundentium, qui motus ex pul-*

pulſionis : cum ergo mulier viro utitur, ſi virile aptum ſit ſemen generationi, utroque motu concurrente vera ac naturalis ſit conceptio. At ſi intemperatum ſit, & generationi ineptum, vel non poſſit ad uteri ſinum penetrare, tum quidem, non tamen ſemper, ſed profecto interdum utroque motu concurrente, & muliere calidiore, exiſtente & natura conceptionis multum avida, conceptio quidem fit, ſed mendoſa, nam ſolum muliebre ſemen concipitur, virili ob ſui ineptitudinem, & intemperantiam excidente. Si ſemen virile prorſus excidat, ut ne ſpirituoſæ quidem ejus ſubſtantiæ fuerit contactus cum ſemine muliebri, non fiet conceptus, nec verus, nec falſus, nam ſolum muliebre ſemen non concipitur, ſed effunditur, quia conceptio eſt utriuſque ſeminis comprehenſio; & quod de attractione additur, ſponte corruit. Ut omnis porro tollatur ſcrupulus, reſpondebimus ad ſolutiones, quibus Adverſarii argumenta Scholaſtica noſtræ opinionis evertere conantur; primum argumentum, quo in Scholis noſtra confirmatur ſententia eſt hoc, *Nullus conceptus in viviparis poteſt abſque maris & fœminæ concurſu generari; unde cum & ipſa mola conceptus quidam ſit, licet mendoſus, non poteſt abſque utriuſque opera fieri.* Quod contrarium ſentientes ita ſolvere conantur.

Nullam hoc habere neceſſitatem in nonnaturali & falſa conceptione, videtur enim, quod

nonnaturalis effectus nonnaturali modo ſit producendus, & quod nonnaturaliter diſpoſitæ cauſæ non ſecundum Naturæ ordinem operentur, licet enim fæmineum ſemen & ſanguis menſtruus agentia naturalia ſint, tamen in ordine ad generationem non ſunt naturaliter diſpoſita; ſi virili ſemine deſtituantur. *Quæ nos ita reſolvimus.*

Hoc maximam habere neceſſitatem æque in conceptione nonnaturali & falſa, quam naturali & vera, nam conceptio eſt utriuſque ſeminis complicatio, ſi hoc ſanum, verus, ſi morboſum, falſus oritur conceptus; qua fœmina quidem concipit in ſeipſo, ſed non à ſeipſo, verum ab alio, nam falſitas illa, non conſiſtit in externa apparentia, ut in auro & aurichalco, nam mola non apparet fœtus, nec eſt fœtus, ſed apparet mola, & eſt mola, quapropter requirunt eadem eſſentialia phyſica principia, ſed aliter diſpoſita, nam ſicut conceptus falſus in mente, & vox falſa in lingua phyſice ex eadem conſtat materia, ac conceptus & vox vera, ſic ſolum modo differunt in externa quadam difformitate, quæ eſt inter conceptum & objectum, ſignificationem vocis & intentionem loquentis, ſic conceptus falſus in utero eadem conſtat materia, è qua fœtus verus, tantum diſtans in hoc, quod materia, è qua mola, ſit aliter ab intrinſeco, vel extrinſeco diſpoſita, nam ideo

ideo dicitur Natura erraſſe in conceptione molæ, quia ex eadem materia non eundem & conſuetum produxit effectum, quia ſi non eadem ipſi ſit ſubminiſtrata materia, non erravit, ſed operata eſt juxta datæ materiæ conditiones. Secundo verum quidem eſt, quod nonnaturalis effectus nonnaturali modo ſit producendus, ſed hoc fieri non poteſt niſi à cauſa nonnaturaliter diſpoſita, ſed ſanguis menſtruus & ſemen muliebre in ordine ad conceptionem non ſunt agentia nonnaturaliter diſpoſita, ſi virili deſtituantur ſemine, nam tali reſpectu ne quidem agentia, ſed ſunt tantummodo patientia; non magis quam plantarum ſemina germine deſtituta, quæ in æternum, non in actum prodibunt. Secundum argumentum deſumitur ab experientia, ſi *mola è ſolo muliebri generari poſſet, plurimum quidem in virginibus nubilibus conſpiceretur, aliiſque viduis juvenculis viro non utentibus, cum in his plurimum ſeminis aggregari neceſſe ſit, ſi quando ex ſe ſolo polluerentur, vel illis ex ſomni ludibrio pollutio accideret, facillime conciperent molam, quod nunquam viſum eſt teſte experientia & Galeno.* Cui ſic reſpondemus.

Quando omne principium formationis à mare dicitur eſſe, de naturali conceptione in formatione intelligendum eſt, non vero de nonnaturali ſimili enim ratione vides indies

ovi-

ovipara abſque maris opera ex ſe ova parere, quæ tamen generationi inepta ſunt, licet de Vulturibus *Baſilius magnus* referente Cælio *lect. ant. lib. 27. cap. 17.* dicat etiam ova ſubventanea citra coitum progignere fertilitate inſignia, ad quæ hanc damus inſtantiam.

Non omne formationis principium dicitur à mare, ſed primum formationis, quod æque locum habet in nonnaturali, quam naturali conceptione, nam illud primum motus principium à mare in palæſtra voluptatis fœminæ communicatum mater ſervat, fovet, & coadjuvat uſque ad partum; quod idem eſt in mola, ac in fœtu, nam idem figulus ex eadem materia fingit ollas malas & bonas idem ſol adurit & maturat fructus, idem ignis coquit & torret carnes, omnes illi motus abſolvuntur ab eodem principio, ſed diverſimode proportionato, in eadem materia ſed aliter diſpoſita: ova ſubventanea non generantur generatione ſtricte dicta intra oviparia, ſed tantum producuntur, ut ſemen in teſtibus, nam nil aliud ſunt, quam ſemen Gallinæ cum ſucco nutritio, nam illorum, ut cæterorum, ex exigua papula vitellus in racemo productus ſenſim increſcit, donec abruptus per infundibulum deſcendit, & per ſpiras cellulaſque devolutus albumen induit, quæ omnes nutritionis, & generationis actiones ſunt.

Ex

Ex his igitur & quod nos judicamus, in ſemine muliebri non latere principium ſufficiens, quo ejus particulæ in ſanguinem, vel carnem convertantur, quam converſionem nec ex ſemine, nec ex ſanguine in vacua uteri area ſolo calore abſolvi poſſe, probavimus, efficaciter concludimus virginem ſine maris copula non poſſe concipere, vel generare molam in interiori uteri thalamo, licet contrarium ſententientes, ut pertinaciter tueantur errorem ad poëtarum confugiunt fabulas, quibus *Homerus*, & alii *Xanthum*, & *Ballium*, duos Achilles equos, ex Zephyro natos cecinerint, quibus adjungunt auctoritates *Varronis*, *Plinii*, aliorumque, ſed eam luce meridiana clarius conſtet, illos vates tantum equorum æqualitatem ventorum velocitati comparaverint, quare merito miramur, quod tales fabulæ à viris doctis ad rei ſeriæ probam adferantur.

CONCLUSIO. Virgines non poſſunt concipere, vel generare molam ſine copula maris.

CA-

CAPUT XIX.

An vidua poſſit generare molam virtute mariti defuncti relicta in ſemine muliebri, vel utero.

DUbium hoc, quod emergit ex opinione Harvei, antequam veniamus ad reſolutionem, dextrè interpretandum eſt, non enim intelligendum, an mola vivo marito concepta plures annos in utero viduæ permanere poſſit, quale exemplum ſupra enarravimus molæ quindecim annorum, ſed an ex ultima debiti ſolutione mariti defuncti, nullaque facta molæ conceptione, vidua poſt aliquot ſeptimanorum, menſium, vel annorum ſpatium poſſit concipere molam per virtutem plaſticam ex conſuetudine mariti relictam; nam, cum Harveus aſſerat conceptionem uteri eſſe eandem cum conceptione cerebri, & vim plaſticam per modum ſpiritus e ſemine maſculino exſpirantem ſolummodo utero afflatam fæcundas reddere fæminas, hinc probabile videtur, quod fæminarum uterus virtute maris plaſtica imprægnatus per plures annos menſes, vel ſeptimanas manere poſſit fæcundus, juxta illud experimentum mulierc'arum Italicarum, quæ gallinam domi gallo deſtitutam per unum atque alterum diem alibi gallo committunt; ex hoc au-

autem exiguo tempore ſuccedit ovorum fæcunditas per totum illud anni tempus; Certe ſi vera foret hæc ſententia, multarum mulierum pudicitiæ conſultum foret; ſi gallinarum inſtar per unum atque alterum diem viro commiſſæ, & commixtæ pluribus annis redderentur fæcundæ; ſi verum ſit nuperum ovarii inventum, vel potius teſtes recenter eo nomine baptizati, vera etiam debet eſſe hæc ſententia: non enim apparet ratio, quare ova humana ovario contenta & virtute maſculina imprægnata minus excluderentur ſucceſſive unum poſt alterum, quam ova gallinæ. vel deberet dari ratio, quare in amplexu non poſſit ſemper niſi unum ovum virtute maſculina imprægnari, cui tamen refragatur experientia optima rerum magiſtra, nam mille talium viduarum fide digna exſtant exempla, quæ tam diu poſt mariti obitum ſine probalile violatæ pudicitiæ teſtimonio peperunt; hic certe magnum veritatis facit naufragium ovarium humanum, niſi ſano explicetur ſenſu, ut ſupra; verum quidem eſt, quod proles decimo vel undecimo poſt patris mortem menſe enixæ a multis medicis & juridicis habeantur legitimæ, hinc male concludas, virtutem ſeminis maſculini tamdiu in utero remanſiſſe otioſam & illibatam, quæ demum uno altero menſe poſt ſemen fæmineum pollutione voluntaria, vel ſpontanea in uteri cellulam effuſum fæcunditate impleverit, nam tar-

tardior partus non ſit obtardiorem conceptionem ſed ob tardiorem conceptus nutritionem. Qui hanc ingreditur ſemitam, in abſurdorum labyrinthum incidit, juxta quam omnes fabulæ, etiam de celebri apud Chinas Philoſopho Lauzu, qui octoginta annis in utero matris habitaſſe dicitur, pro veris hiſtoriis habendæ ſunt. Virtus maris plaſtica perit, vel operatur, nunquam otioſa eſt, ſi incommoda matrice convenientem nacta ſit materiam; nec cerealia à recta veritatis te ſeducant via, nam eorum ſemina fæcundæ terræ, tempore opportuno non ſunt gratis ſolis radiis injuria, ſed mox germinationem aggrediuntur, modo omnium cauſarum excitantium & coadjuvantium adſit apparatus, ut eſt in utero matris, qui à Philoſophis decantatur longe conceptionis avidior, quam terra germinationis; quæ nunquam activitatem ſuſpendit, nec valet, nam ſunt agentia naturalia, quæ ad præſentiam requiſitorum neceſſario agunt; ejuſdem fortunæ eſt ſemen maſculinum, cujus virtus muliebri transfuſa ſpermati mox in utero fæcundo exſerit activitatem, ſi muliebre fæcundum ſit, ſin minus, ſubſtantia cum virtute perit, quæ ſolummodo illæſa & otioſa ſervatur in teſtibus & veſiculis, imo per quot etiam annos in illis moraretur per tot ſuam retineret virtutem, ut ſanguis in vaſis; extra quæ loca ipſi operandum, vel pereundum:

Non-

Nonne calor in omni animo extra proprium ſubjecto perit, niſi continuo novi caloris ſubminiſtratione conſervetur? intuere obvium aquæ calefactæ experimentum. Nec ideo Gallinæ, per unum, aut alterum diem commiſſæ gallo, toto anno fœcunda pariunt ova, quia ſeminalis galli virtus ipſi eſt impreſſa utero, ſed ovis, quæ omnia tam brevi tempore ſeminali galli aſperſa rore fœcundantur, etiamſi juſtam magnitudinem ad excluſionem requiſitam nec dum ſint adeptæ, quæ ibidem tamdiu morantur, donec de neceſſariis ad excluſionem ſint proviſæ, quibus enixis vis etiam prolifica gallinæ evaneſcit; ſed ſi illa vis plaſmatica fuiſſet impreſſa ipſi matricis ſubſtantiæ, tunc nulla apparet ratio, quare illa virtus, ſine novo influxu unum tantum annum, non plures duraret? nam ſubtilior vis magnetica ferro impreſſa diutius manet: ſed ſicut magnes communicat vim ferro, & non pyxidi, in qua ſervatur acus nautica, ita ſperma maris vim ſuam muliebri communicat ſemini, & non utero, ſicut ergo vis plaſmatica cerealium non communicatur terræ, quæ nunquam germinabit triticum aliudve frumentum, niſi de novo ipſius gremio mandatum, relictum, vel vento aliunde delatum ſit ſemen, ita nec uterus muliebris; nam ſeminalis maſculina vis adeo ſemini infixa hæret, ut ab ipſa ſeparari nequeat, nec ulli uni-

tur ſubſtantiæ, niſi muliebri ſpermati, cui non ſolum per inſenſibile aliquod contagium, ſed per realem & ſenſibilem unionem, quam uxores propria experientia compertum habent, ut optime docet Hippocrates lib. de genitura. *Quod ſi fæmina partus perita ſit, & cognoverit, quando genitura non excidat, ſed intus manſerit, ſciet, qua die intra ſeipſam concepit.* An vero tota ſeminis maſculini ſubſtantia requiratur ad fœtus delineationem, an vero etiam ad nutritionem, non eſt hujus loci requirere.

CONCLUSIO. Vidua non poteſt concipere molam virtute mariti defuncti relicta in utero, ſine novo maris auxilio.

CAPUT XX.

An virgo vel vidua vel maritata poſſit concipere molam viribus imaginationis.

HOuſque aſtutiæ deventum eſt in ſexu fœmineo, quod callidæ mulierculæ ad illicitos ſupprimendos amores, viris conentur imponere, quod ex ecſtatica amoris vehementia in abſentem maritum vel precum intentis cogitationibus geniales mariti ſpiritus ſympathetice movere & ad ſe allicere poſſunt, ut olim credo, Circe carmine deduxit lutalinam, atque ratione ſine ullo maris contactu concipere, enar-

enarrando admirandas illas hiſtorias, quibus varia ſtigmata imaginatione gravidarum fœtui impreſſa conſtat, confirmantes hoc ſententia lata a *Parlemento Gratianopolitano*, quam tulit de fœtu legitimo per phantaſiam matris concepto, cum quatuor annis a marito abfuiſſet. Gallicanum hoc Parlementum authenticis matronarum & obſtetricum teſtimoniis, & exemplis, legitimiſque Medicorum approbationibus inſtructum ſententiam pronuntiavit in favorem *Magdalenæ Aiguemerianæ*, ne familiæ illi illuſtri ignominiæ macula inuneretur, quæ hiſtoria quidem vera eſt, circa quam Parlementum fuit occupatum, ſed ejus fidem ſuſpectam reddidit *D. de Lord.* Med. Prof. Monſp. ſententiam rogatus, a nobili de *Montrabbe*, præſide, Parlementi Gratianopolitani, quia, ait, mulier ſine virili ſemine concipere non poteſt omnium Medicorum conſenſu, nam ſexuum diſcrimen foret ſupervacaneum, ſi mulier ſola ſufficeret ad generationem. Ad auctoritates Medicorum allegatorum, (quos tamen credo confictos, ut Parlamento imponeretur, nam talis ſententia non cadit, in viros cordatos) matronarum, & obſtetricum reſpondet primo; Medicos juniores advocatos fuiſſe, & ſententiam rogatos, neutiquam ſeniores. Deinde obſtetricum ſcientiam & profeſſionem ad partum, non ad conceptum ſe extendere. Tertio matronas amicas ju-

venculæ facile à seniore matrona persuasas & deceptas. Quarto Parlamentum in Saturnalibus, ne defamaretur familia Arguemeriana, ipsaque Magdalena suspectæ redderetur pudicitiæ, sententiam pro illa pronuntiasse. Calculum credo, clandestinæ meretriculæ, & salaciores puellæ adjicerent, quo lasciviam, illicitamque libidinem industrio phantasiæ pallio tegerent. Imaginationem circa fætum jam conceptum miranda præstare extra dubium est, sic novi honestam fæminam, quæ in prima imprægnatione valde delectabatur certamine hircorum, dum capitum collisione se invicem & alios aggrederentur, masculus infans, quem peperit continuo capitis nutu illum æmulabatur motum, quod parentes & amici non adeo observabant, donec robustior factus obvios quosque invadebat, & iratus vindictam quærens caput duro parieti allidebat, tam fortiter sæpe ut læsionem metuerent, & aliqui intercurrerunt anni antequam puerum minis & verberibus ab illa mala consuetudine divertere potuerint. Mirabile quid contigit Vltrajecti, ubi quædam gravida aspectu æthiopis perterrita concolorem pareret prolem, in remedium istius imaginationis totum corpus lavit aqua, & peperit infantem album exceptis digitorum manuum pedumque interstitiis, ad quæ aqua non penetraverat. Quamvis hæc exempla admiratione

ne

ne digna ſunt, & ejuſmodi plura adferri poſſint, nullatenus concludunt, quod ſine virtutis maſculæ ſubſidio ſola imaginatione concipi poſſit, nec ſolum in humano genere, ſed ne quidem in imperfectioribus, quidquid auctores garriant de muribus, quod ſale impleantur, de perdicibus ac vultiribus, quod ſi maribus ſteterint adverſæ, ventuſque inde afflaverit, ubi mares ſtant, concipiant, imo ſola marium voce plerumque ingravidentur: ejuſdem farinæ ſunt hiſtoriæ de ſuibus in *Chiam*, & equabus in Luſitania circa olyſſiponem urbem, & *Tagum* amnem, quod ſavonio flante impræguentur, hæc fabulis merito adſcribenda cenſemus, quibus forte illorum animalium fæcunditas credulis occaſionem dedit, vel poetæ materiam fingendi arripuerunt, non hac ætate, qua jam ob arti nauticæ peritiam magnum cum noſtris eſt commercium, nullæ tales obſervationes referantur, nam impoſſibile eſt, quod mera imaginatio ſuppleat defectum viri in myſterio generationis, quod enim ipſimet non habemus, alteri dare non poſſumus, cum vis ſeminalis fœcunda in ordine ad prima fœtus rudimenta concipienda in fœmineo non deliteſcat ſemine, nulla ei imaginationis excitari poteſt, quis ex aqua excitabit flammam? nam ſignaturæ fœtus non probant, vim imaginandi poſſe ſuſcitare facultatem ge-

neratricem in illo, in quo non est, multo minus quod ipsam vim plasticam eminenter contineat, sed solummodo quod possit vario modo dirigere & determinare potentiam conformatricem seminis; nam phantasia est solummodo potentia activa suæ imaginationis, & extra illam per se nihil potest producere in corpore proprio, vel alieno, sed solummodo per accidens movendo humores & spiritus præbere occasionem, quare tales signaturæ fœtibus imprimantur, non est, quod rei evidenter notæ diutius immoremur, nam communis tam Veterum, quam Recentiorum tum Theologorum, cum Philosophorum est sententia, quod imaginatio nullam habeat activitatem in motus alterationis, nutritionis, & generationis, ut docet *D. Thomas part.* 1. *quæst.* 110. *artic*: 2. Non enim moveor multo strepitu cum multis, inani strepitu *Avicennæ*, quem, dum varii sequuntur, semetipsos confundunt, dum ad opinionem de tam admiranda virtute imaginationis defendendam confugiunt ad phantasiam talis hominis, habentis animam excellentiorem & puriorem, & a fœcibus materiæ magis abstractam, & sub felicissimo sidere & imperio Jovis conceptam: tales, inquiunt virtutes à Jovis influxu recipit, estque quasi ipsa Jovis imago, adeo ut per influxum ab eo acceptum non tantum operetur tanquam anima, sed quasi ipse Jupiter, unde-

sicut

ſicut Jupiter, & cœleſtia corpora habent imperium in hæc ſublunaria, ita etiam talis anima influxu & virtute Jovis affecta mediante ſua imaginatione habet potentiam pro arbitrio corpora ſublunaria permutandi, & etiam hominem ſine matre, ſemine & utero generandi: quæ ita certa eſſe credit *Avicenna*, ut ſecundum ſententiam ſuæ Philoſophiæ ineptos dicat, qui hoc non credunt, ſed Philoſophorum non eſt credere, nec hujus temporis Philoſophi admittunt talia mangonia, quibus olim *Cyro* credulo Regi perſuadebant, *Guidum* fluvium hominem eſſe, quia in eo equus, Regi imprimis charus, ſubmerſus erat, fluvio ſenſum affingendo. Modernorum ingenia generoſa, nec aſtricta ſunt, quibus ardor eſt penitus explodere, & reſecare, quæ manifeſta ratio & experientia non evincunt, quantumis ea veterum ſuperſtitio ſuſpexerit.

CAPUT XXI.

An virgo vel vidua ex balneo vel ſimplici accubitu poſſit concipere Molam.

IN ipſo limine in riſum forſan ſolvetur lector, dum videt hanc paradoxologiam in medium allatam, cum primo quiſquis, qui peponem pro corde non habet, judicabit erroneam, & recte, ſed ob auctoritates magnorum virorum

tam Recentium, quam Veterum, casum attingere, & historias aliquas ad nectere placuit, ut discamus, quam vere sapientissimus *Galenus* dixerit, nunquam errare, excedit captum humanum. Quis putasset Averrhoem virum tantæ doctrinæ ac sapientiæ, tanti ingenii & judicii, Philosophiæ, & Medicinæ peritissimum hallucinari potuisse in re adeo manifeste erronea iste *2. coll. cap. 10. refert*, a vicina quadam vetula audivisse mulierem in ætatis flore constitutam in balneo, in quo viri semen effusum erat concepisse, cui historiæ fidem adhibet, & tanquam casum possibilem approbat, excitatus vi magnetica uteri attractice, ubi tamen cum *Aristotele* in eadem sit sententia, si semen modo ab aëre tangatur illico corrumpi, quomodo illa virtus maneat, tamdiu illæsa sub aquis? quomodo salax, & petulca fœmina, potius impia, ex illo semine cythareum nectar delibare poterit, cum communis sit opinio, semen fœcundum petere fundum, sterilem vero in medio fluitare, quis enim Philosophus tantam magneticam uteri agnoscet facultatem, ut semen sub aquis submersum contra gravitatis legem sursum in uterum ascendat, potiori jure per braccam adstantis viri attraheret? unde non parum apud prudentiores propriæ famæ jacturam fecit *Amatus Lusitanus* celebris hujus sæculi scriptor, quod Averrhoi assentiens mulierem in balneo con-

concipere posse tradat. Condonandum quidem *D. Thomæ*, tanquam viro Religioso & Theologo, qui tales materias, ne castas offendant mentes, & aures, sicco pede transeuntes sola nituntur auctoritate, vix tamen tanquam Philosophus veniam meretur, qui *Aristotelem* tam presso sequitur pede, qui contrarium docet. Quod 6. art. 18. scribens, posse fortassis mulierem absque miraculo salva virginitate concipere, *sicut dicitur*, ait, *accidisse cuidam puellæ jam pubescenti, quam propter custodiam in lecto suo pater habebat, qui cum in somno pollueretur, semen ejus ad matricem filiæ descendit & inde puella concepit.* Sed recte de veritate historiæ dubitat, cum addit particulam *forsan* & *dicitur*, nam ut summus Theologus prævidit satis, tales opiniones addere magnum robur infidelibus ad veritatem miraculosæ Deiparæ conceptionis concutiendam; nam extra omne est dubium, quod iste parens juxta solida veræ Medicinæ principia incestus fuerit reus, quidni eadem ratione fabulam saturni referam in catalogum verarum historiarum, qui dicitur Patri Cæto amputasse testes eosque amputatos in mare projecisse, ex cujus agitatione semen contentum in spumam conversum est, ex qua Venerem, amicabilem illam Deam enatam tradunt.

Amatus Lusitanus Cent. 7. Cur. 18. Hanc historiam habet. Mirum, sed verum casum de-

ſcribo, Theſſalonicæ evenientem: Duæ mulieres turcicæ vicinæ multis coitibus ſuccubis & incubis ſe contaminabant, polluebantve, quarum altera vidua erat altera maritum habebat; cæterum quum ſemel vidua ad coitum irritata alteram conjugatam ad coitum incitaret & forte ea hora, a marito diſcedens, cum quo rem habuerat, incuba facta eſt, quo in coitu, amplexuve poſt multam frictionem, attractionemve, *ac ſeminis ejaculationem, uterus viduæ ſuccubæ ingenti appetentia ſemen mulieris incubantis non ſolum, ſed & virile, non multum antea inutero ejus relictum, ſuxit, a quo ſemine prægnans facta eſt, affirmante ipſa variis juramentis, cui fidem præſtare debemus, cum illi minus ignominioſum erat, a viro concepiſſe, fateri, quam a tali muliere eo modo habita.* Suſpecta eſt ſemper fides mulierum in hac materia jurantium, nam multæ tam pertinaces, ut etiam enixas e medio prius tollant proles, quam fateantur, ſe fuiſſe a viro impletas, hæc vidua ſine dubio in contraria fuit opinione, quod conceptio tali modo peracta eſſet minus ignominoſa & peccaminoſa, ſed ego illam viduam referrem in numerum illarum, quæ ob melancholicam temperiem, quas novi aliquas, tam anxie quærunt inanem famam, emenditos & incomprehenſibiles ſimulantes morbos non alio fine, quam ut eorum fama, dum tales inſoliti caſus ubivis Medicorum

rum exponuntur examini, per orbem ſpargeretur. Certe dum Medici unanimiter ſtatuant, viros poſſe eſſe ſteriles obnimiam virgæ brevitatem, quis talem caſum a falſitate abſolvere poterit?

Simbaldus lib. 1. *cap.* 14. refert ſimile quid Romæ ſibi narratum fuiſſe ab inſigni ejuſdem civitatis obſtetrice, dicebat enim, quod cum unice diligerentur invicem ſoror & conjunx cujuſdam viri, non ſine libidinis ſenſu, ut proinde dormirent ſæpius ſimul, factum eſt, ut cum aliquando uxor recens a mixtione conjugis accelliſſet, atque adeo ſemine adhuc reſperſum vas genitale tuliſſet, nec non ſtatim laſciviens virago illam amplecteretur arctiſſimo vinculo, ſoror viri conceperit e ſemine fratris, quod ſponte avida hujus matrix exugens elicuerat. Et paulo poſt addit. Ita quoque mihi quædam vidua olim, inſulſe nimis perſuadere conabatur, gravidam eſſe factam nullo viri conſortio, nullaque veneris dulcedine, ſed ſolum, quia conſederat, alvum exonerandi gratia in latrina, quam paulo ante affinis juvenis hymeneum celebrando manibus polluerat. O commentum, inquit, futile! o veram annicularum fabellam! tam audaces & aſtutæ inveniuntur fæminæ, quæ nugaciſſimos excogitant prætextus, quibus illicitam celent libidinem, & dum maritos aut viros ſungos inveniunt, qui us tali imponunt modo, magnopere

gnopere gloriantur, quod ſibi liberam ad furtivos amores viam ſtraverint.

Plinius lib. 30. *cap.* 27. *refert.* Tarquinio Priſco regnante tradunt, repente in ejus foro apparuiſſe genitale, e cinere maſculini ſexus, eamque, quæ inſederat ibi, Tanaquillis, Reginæ ancillam conſurrexiſſe gravidam.

Eodem modo fraudulentam illam impoſturam Hebræorum Talmutiſtarum eſſe, cenſendum eſt, qui *Benſyram* Rabbinorum eruditiſſimum ex Jeremiæ Prophetæ filia natum tradunt & conceptum ab ea in balneo, in quo viri nequam & idiolatræ ſemen profuderant: nam illam genealogiam Theologi falſam & mendacem eſſe, docent, quia Jeremias in cælibatu vitam finivit. Pace tantorum virorum dixerim cum Lucretio:

Magnopere à vera lapſi ratione videntur.

Superius ſatis evidenter probavimus, nos non poſſe habere clarum & diſtinctum conceptum de admiranda humanæ fabricæ ſtructura, niſi ſupponamus omnia cunctarum partium rudimenta ſine confuſione in exiguo ſemine eſſe deſcripta, quæ beneficio motus in voluptatis palæſtra impreſſi ad debitam molem ſenſim extenduntur, qui motus, ſi aliam accipiat determinationem à quacunque etiam cauſa, quam habet impreſſam in certamine amoris, non

non excitat ſopitam virtutem ſeminalem, nec illam in actum generationis deducit, ſemen autem non poteſt ſine alia determinatione aërem, aquas vel ſolidiora tranſire corpora: ut enim recta fiat generatio, motus etiam ſecundum lineam rectam abſolvendus, nam vis plaſmatica in ſemine ſopita non poteſt deduci in actum, niſi per verum & Phyſicum amantium contactum, in quo accuratius, quam in ullo naturæ arcano, mechanicæ motuum leges obſervari debent, ut primus ille vitæ motus in ſemine transferatur, & conſervetur. Quapropter ſi Theologi curioſa modernorum Anatomicorum ſcripta conſulere dignentur non patientur ſe diutius tam imaginaria Matricis attractione, vel falſis impiarum mulierum relationibus ſeduci, niſi pertinaciter hypotheſi inſervire velint, ut fabulas pro veritate, nugas pro re ſeria venerentur.

CONCLUSIO. Virgo vel vidua non poteſt concipere molam in balneo vel ſimplici accubitu.

CAPUT XXII.

An virgo vel vidua ex diabolo poſſit concipere Molam?

PRudentiores intemperatæ libidinis fœminæ, cum judicent ſe viris cordatis imponere non poſſe, quod aſſerant, ſe concepiſſe ex phan-

phantasia, vel simplici accubitu, confugiunt ad Dœmones, quos nunquam vel tactu vel visu, perceperunt tam vero simili verborum apparatu, ut credulos in consensum rapiant, qui facile numerosa magnorum virorum auctoritate, etiam si minus sincere citata, abripiuntur; nam consentientem habent Platonem in Cratylo, & Ægyptiorum Magos, credula enim Antiquitas suos obtrudit semideos, sarpedones, etiamnum Anglia prædicat Merlinum, Pannonia hunnos è faunis natos; callidæ quippe mulierculæ speciosa astutia adeo doctorum turbarunt cerebrum, ut plurimorum suffragia receperint; quid? Communis Theologorum, Juristarum ac Philosophorum est sententia, tam prompto multorum judicio, ac si diabolum in opere amoris propriis vidissent oculis. Tot & tantis heroibus, universa dicacir mulier cularum a stutia stipatis bellum indicere, proterviæ indicabunt plurimi; sane fuerint illi maximi ac omnino digniſſimi, quorum legimus vestigia, non sunt tamen illi, qui nunquam & nuspiam errarint; nullus enim hominum natus πάντα καπρτθν; sinceri & candidi pectoris est, tum recta ratione æstimare cujusque virtutes, tum etiam ἀποτυπίας animadvertere, utrumque vero cum revera sit difficillimum, pro viribus tamen conandum, quia veritas post Deum colenda est, nam rationum examen, est ultimus lon-

gæ

gæ experientiæ fructus. Optime *Galenus* noſter, non credo *Hippocrati* tanquam teſti, ſed quia firmas habet dogmatum rationes: non enim quod conſenſu plurium receptum eſt, & tempore fidem ac auctoritatem meruit, id continuo verum eſt; nam affirmantia in hoc caſu Theologorum, Medicorum ac Juridicorum argumenta fabuloſis Poëtarum ut plurimum nituntur traditionibus, ex quibus nil veri pro ſufficienti tantæ rei probatione deduci poſſit: non enim ſatis eſt, doctum eſſe, niſi in hac materia, de qua quæſtio eſt, doctus ſit, ut bene advertit *Ariſtoteles lib. 2. de Gen: Si non exercitus fuit in his Democritus, mirum non eſt, quod hallucinatus fuerit in afferenda cauſa*, & optime quadrat in hac materia, quod Philoſophus addit de oſcitantia eorum, qui citra Anatomiæ peritiam pronuntiant, *Hos conjectari ex veroſimilibus, quæ fieri putant, quin dicere ita ſe habere, antequam viderunt ita fieri.* Cum ergo a Deo & natura habeamus ſubſidia ad inquirendam veritatem, uſurpanda ſunt, qua in re ſi nos obruat ſocordia, & credamus iis, quibus credendum non eſt, rectum à curvo, nec verum à falſo diſcernimus; non enim pronior fidei lapſus, quam obſcuræ rei gravis & mineroſa auctoritas, uſque adeo in hiſce obliviſcimur conditionis humanæ, quæ eſt labi, errare, decipi, & non niſi cum vita neceſſitatem deponere: hujus qui-

quicumque memor carebit, ne quem se mel sapere vidit, illum semper sapere credat, difficile enim cum sit omnia legisse, difficilius omnium meminisci, difficillimum in omnibus veritatem assequi, quæ non nisi longa sæculorum sibi succedentium serie sæpe e puteo extrahitur; Nos equidem supra communem hominum conditionem elevatos neutiquam præsupponimus, nihilominus plus veritatis in hac materia quam prædecessores deprehendisse confidimus; id circo licet contrariæ opinionis auctores nos superent numero, rem spe veritatis rationum pondere aggrediemur, utentes cum Philosopho *Zeonis* dicto Γαλήνου χόρος μείζων, ὁμὸς δὲ συμφωνότερος, *Galeni cætus quidem major, sed noster concinnior*, Euripidem secuturi, μὴ μοὶ τὰ Κομψ', ἀλλ' ὧν πόλις δεῖ, *non doceas, quæ ad ostentationem, sed ad utilitatem Republicæ sunt.* Quod certe in hac materia usu venit, cum hic auctoritate Medici in commune Ecclesiæ, vel Reipublicæ bonum pernitiose & scandalose errari possit. Ut ergo facilius literatorũ extra nostræ facultatis pomæria mereamur suffragia, prolixiores in examinandis adversantium cujusvis generis rationibus, probatum dabimus, in actu generationis multa requiri, quæ diabolus nec procurare, nec imitare potest, adeoque nec veri mariti explere munus posse.

Ventosa Magia, etiam Naturalis, admiranda

randa obtrudit lectoribus, quorum pleraque, si à curiosis deducantur in actum, irrita sunt, quod evidenter demonstrat, hujus scientiæ erronea esse principia, vel erroneam illorum applicationem; *multa enim dicuntur de subjecto, quæ non insunt*, & docti pariter ac indocti facile seducuntur laxiori istius regulæ de *activæ passivis applicando* interpretatione, nam quamvis causæ naturales non possunt non agere, antequam tamen exeunt in actum, eosdemque semper producant effectus, easdem omnino requirunt conditiones, non enim sufficit nuda ac jejuna activorum & passivorum consideratio, & externa eorum juxtapositio, sed ut exeant in actum, ante omnia necesse est, ut viribus integris, debito loco, convenienti tempore, & legitimo modo applicentur, nam causa physica æque imo magis est suis adstricta conditionibus, quam Moralis circumstantiis, imo ejus actio à solo sæpe tollitur loco, ut patet in piscibus, quorum actio vitalis mox in aëre, & hominibus, quorum actiones statim sub aquis pereunt.

An vero diabolus homine prævaleat in supplendis requisitorum defectibus, quæ ad agendum causis secundis sublunaribus necessariæ sunt, ulterius & altius meretur examen.

Firma & constans primo Theologorum est

ſententia, diabolum non poſſe edere effectus abſolute admirandos juxta Prophetæ revelationem, *Benedictus Dominus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus*, quod ipſo *Plinio* teſte patuit in Nerone Imperatore, cui cum nec ingenium, nec opes, nec voluntas, nec ſtudium, nec præceptores deeſſent, nunquam tamen per Imperatorem diabolus magiæ experimentum, vel unum edere potuit, unde Nero hos fraudulentos fumivendulæ artis magiſtros aſpernatus aula & urbe expulit. Sic nec potuit, diabolus quod ipſi erat optatiſſimum arbitrio ſuo lædere Prophetam Job; ſed ne perfidum quidem Regem Achab, mancipium ſuum, decipere; *non ſubjecit Deus Angelis orbem terræ futurum*, docet Apoſt. ad *Heb.* 2: 5.

Secundo docent Theologi pariter ac Philoſophi, Dæmonem non poſſe immutare ordinem Naturæ, vel leges univerſi invertere, ex quo axiomate affirmant, primo diabolum non poſſe virtute ſua producere ullam corpoream ſubſtantiam, vel formam accidentariam materialem, quia nulla ſubſtantia corporea ab incorporea immediate alterari poteſt, & conſequenter diabolus per ſe non poteſt imprimere ullam qualitatem corpoream, v. g. calorem, frigus, albedinem, figuram &c. Secundo diabolus non poteſt, ex quavis materia vel inſtrumento quemlibet gignere effectum,

tum, quia cauſa & inſtrumentum debitam cum effectu requirunt proportionem.

Tertio non poteſt operari dæmon in inſtanti, nam naturaliter ad unam rem plus moræ requiritur, quam ad aliam.

Quarto, nec corpus de extremo transferre ad extremum non tranſmiſſo medio, nec corpus longe diſtans à ſe de loco transferre, quia inter corpora moventia & mota neceſſario requiritur contactus formalis, vel virtualis; nec quantalibet celeritate transferre corpora.

Quinto non poteſt tollere connexionem vel ſubordinationem partium magni, vel parvi mundi; adeo ut ſatis clare conſtet ex ipſis ſanioris Theologiæ principiis verba illa apud Prophetam Job. cap. 41. expreſſa, *non eſt ſuper terram poteſtas, quæ comparetur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret*, non ad quoslibet effectus eſſe extendenda, cum S. Scriptura ibidem videatur agere tantum de ſubtili arte diaboli ad humanum ſuperbiæ ſpiritum ſuggeſtionibus ſuis adjuvandum, ut verba ſequentia ſatis indicant, *omne ſublime videt, ipſe eſt Rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Nam cum Job contendit cum Deo, ſuum ſuperbiæ ſpiritum ſatis manifeſtat, unde Deus capite præcedenti Prophetam his coarguit verbis. *Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas? circumda tibi decorem, & in ſublime erigere, & eſto glorioſus, & ſpecioſis indutus veſtibus.*

Ex quibus ſatis liquet, Theologos æque docere ac Philoſophos quod Natura ſit ſubjecta ſub ſola Divini Numinis poteſtate, cujus leges & ordinem non magis valet immutare dæmon, ac ipſe homo, & conſequenter in activorum cum paſſivis applicatione æque naturæ eſt adſtrictus legibus, ac ipſe homo; imo merito dubitatur, an majori peritia gaudeat in naturalibus, ac homines, qui partim neceſſitate coacti, partim curioſitate rapti induſtriæ vires & nervos intendunt, unde per ſenſibilem experientiam addiſcunt indies multa, quæ per traditionem poſteris relinquunt, nam multo evidentior eſt modus, quo homines deveniant in rerum ſenſibilium notitiam, quam ille, quo diabolus dicitur acquirere naturalium ſcientiam, cum paſſim diſputent Theologi, *an Angeli infuſam an acquiſitam poſſideant ſcientiam*; imo Sancti Patres paſſim docent diabolum, ut lunam, mutatum, & perdidiſſe ſapientiam, cujus magna pars eſt vera rerum naturalium cognitio, per quam quaſi manuducimur ad ſupranaturalium ſcientiam, unde *Hippocrates* noſter Medicinam ad ſapientiam, & ſapientiam ad Medicinam transferendam eſſe docet, imo illum eſſe unicum ſtultum, & univerſæ ſtultitiæ principem aſſerit Divus *Bernardus*, qui etiam docet, dæmonem non poſſe tentare homines, niſi poteſtate ſibi data, ut patuit in

Pro-

Propheta Job, cui ulceroſam corporis diſpoſitionem infligere non potuit, imo nec in porcos invadere, niſi primo à Deo impetraverat veniam, adeo ut illa activorum paſſivis applicatio in ordine ad producenda ulcera non profluxerit virtute diabuli congenita, ſed ſuperaddita non pro omni tempore, vel homine, verum ſolummodo ſpecialiter illo tempore conceſſa, ut paſſim omnes actiones Angelorum in ſublunaria, de quibus in ſacro legimus codice, ſpeciali Dei mandato peractæ ſunt, atque ideo non controvertimur, *an diabolus virtute ſibi à Deo ſuperaddita poſſet in ſuccuba generare molam, vel prolem, ſed an valeat viribus ſibi congenitis explere fœcundi conjugis officium*, nam Deus mille diverſis modis poteſt producere homines, ſi abſolutam Divini Numinis conſideremus potentiam, ſed cum hoc rerum ſtatu Deus ita voluit benedictione ſua multiplare humanum genus, ut ſemen per genitalia virorum organa ejaculetur in uterum, an diabolus ſcientia & virtute ſibi naturali illum poſſit invertere generandi ordinem, fœcundumque ſeminis calorem extra vaſa effuſi conſervare, quem communi Theologorum ac Philoſophorum ſuffragio per ſe producere nequit, cum ejuſdem ſit conſervare, cujus eſt producere, ut hoc clarius intelligatur, quædam de natura angelica in communi præmittenda ſunt.

Quamvis Sancti Patres varient de tempore creationis angelorum, quorum aliqui illos ante orbem conditum fuiſſe productos alii ipſos mundo eſſe coævos aſſerunt, dari tamen Angelos, licet non ratione, fide equidem certum eſt, non tamen definitum eſt ab Eccleſia, illos multis parafangis ſuperare homines in rerum Naturalium ſcientia, nam ſi creati ſunt ante Mundum viſibilem, ut probabilior Veterum Patrum fert ſententia, videl. *Baſilii*, *Gregorii Nazianzeni*, *Athanaſii*, quorum docente D. *Hieronymo* tanta eſt in doctrina Chriſtiana auctoritas, ut nullus nunquam eorum dictis calumniam inferre præſumpſerit, item *Ambroſii*, *Joannis Caſſiani*, aliorumque, quorum equidem dictis non obſtat Concilium Lateranenſe, in quo *Innocentii* mens eſt ſecundum D. *Thomam opuſc.* 23 non damnare opinionem illorum ſanctorum de tempore productionis Angelorum, ſed ſolummodo condemnare errorem *Origenis* adſcriptum, quod Deus prius ſolos Angelos condiderit, & poſtea, nonnullis eorum peccantibus corpora, in quibus luerent delicti pœnas, nam *S. Auguſtinus lib.* 12. *de Civitate Dei cap.* 32. permittit, ut in hac re libere ſentiat unus quiſque quod velit, modo ſpirituales ſubſtantias Deo coæternas non faciat, & omnia tam viſibilia quam inviſibilia affirmet a Deo in tempore condita, cui ſubſcribit *Theodoretus* Cyri Epiſ-

co-

copus quæſt. 3. in Geneſin. *Illud porro ſcire neceſſe eſt, omnia quæcumque exiſtunt, excepta Sancta Trinitate, naturam habere corruptioni obnoxiam: hoc autem conceſſo, ſi quis Angelorum turbas ante cælum & terram conditas eſſe dixerit, non offendet verbum pietatis*: Juxta quam Sanctorum Patrum ſententiam non eſt vero ſimile, quod Deus Angelis infuderit ſcientiam rerum nec dum exiſtentium, multo minus earum notitiam acquirere potuerunt, immo licet Deus ſecundum verba Concilii Lateranenſis omnipotente virtute ſua ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condiderit creaturam, ſpiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & Mundanam, equidem cum materia chaoetica concreata ſunt, quapropter ſaltem ante corporum formas, prout nunc in adſpectali obſervantur Mundo, Angeli producti ſunt, & conſequenter non ſpectat ad eſſentiam Naturæ Angelicæ cognitio ſublunarium, nam perfecte creati ſunt, non enim anima rationalis hominis adulti in ſua eſſentia perfectior eſt, quam mens infantis, nam licet viri perfectiori modo diſcurrant de rebus, quam pueri, non equidem ſapientiorem habent animam, cui coeſſentialis eſt perfectior rerum ſcientia, idcirco cum Natura Angelica nil aliud ſit quam ſubſtantia ſpiritualis mente humana in cogitandi modis perfectior, quæ perfectio potiſſimum conſiſtit in eo, quod

angelorum ſcientia excitetur ab objectis mere intelligibilibus, quæ ab omni ſenſualitate abſtracta ſimpliciori & nobiliori modo in Angelis generant ſcientiam, quam objecta ſenſibilia in homine, qui perfectior cogitandi & ſcientiam acquirendi modus non neceſſario ſecum trahit rerum ſublunarium notitiam, quia Angeli ſunt ſubſtantiæ longe ſupra conditionem rei corporeæ elevatæ, nec ullam habent dependentiam a materia, nec iſta ab illis, nec ullum eſſentiale vel naturale datur, niſi in homine, inter ſubſtantiam ſpiritualem & corpoream commercium, nam provincia bonorum Angelorum, qui vel ad hominum ſunt delegati tutelam, vel ſpecialiter miſſi ad aliquid homini denunciandum, aut malorum, qui ad impios caſtigandos, pioſque probandos pro tempore deputati, à Deo demandata non pertinet ad eſſentiam Naturæ Angelicæ, quia illa Angelis poſt creationem eſt imperata, nam Deus iſtis tanquam ſpiritibus adminiſtratoriis juxta Apoſtolum utitur, quale miniſterium non involvit tantam in rebus naturalibus præcellentiam; merum eſt multorum præjudicium angelos ideo hominibus prævallere in rerum ſenſibilium cognitione, quia eorum intellectus capacior eſt ad res mere intelligibiles percipiendas, nam longe alia ratione res incorporeæ cognoſcuntur quam corporeæ, quarum ſcientia vel ſubſidio Angeli nec ad Dei cognitionem,

tionem, nec ad ſui exiſtentiam, aut commodum indigent, quapropter cum modi, per quos rerum corporearum cognitio deferri deberet ad intellectuale Angelorum centrum, ſint valde obſcuri & inexplicabiles, mirari ſatis nequeo, paſſim non modo ab illiteratis ſed etiam a viris doctis tanquam certum & indubitatum ſupponi, diabolos in Naturæ creatæ viſibilis peritia præcellere hominibus, ubi tamen *Baſilius magnus epiſt.* 141. Angelorum ſcientiam craſſam pronuntiat, me Hercule, cum nec auctoritate S. Scripturæ, nec lumine Naturæ conſtet, quod Angeli ſint rerum ſub lunarium peritiſſimi, & quod mali, ſi tali emicuerint ſcientia, nihil ſcientifici lapſu amiſerint, magnam meretur admirationem, homines paſſim tam firmiter incertis præjudiciis ac erroneis inhærere conjecturis de tanta virtute in res ſenſibiles diaboli, qui a Patribus nudus, vel potius rerum naturalium ſenſibilium ignarus, dicitur, nam paſſim docent, diabolum omni excidiſſe gratia, in quarum numero non inter minimas naturalis ſcientiæ infuſæ donum recenſendum eſt. Quis enim diutius dubitabit de ſcientiæ naufragio in diabolo, cum increata Veritas de ipſo apud *Johann. cap.* 8. teſtetur, *quod in veritate non ſteterit*, ergo veritatis fecit jacturam, & conſequenter concreatæ ſcientiæ, nam ſcientia eſt veri ſcientia, quia qui non habet rei veritatem, non

habet ſcientiam; quia *veritas*, pergit, *non eſt in eo*, ergo nec vera ſcientia, ſed apparens tantum, id eſt, rerum in phantaſia tatum exiſtentium.

Deinde conceſſo, quod Angelis rerum naturalium ſit infuſa cognitio, & quod earum vires ac diſpoſitiones elapſis aliquot annorum millibus contemplati ſint, & norunt, quibus temporibus ac locis, quaque proportione rerum qualitates temperandæ ſint, & quid ex talium vel talium commixtione exſurgat, & oriatur, illa equidem ſcientia accommodanda eſt Naturæ legibus, in quibus nulla a diabolo, vel homine datur diſpenſatio, multo minus immutatio, quam a ſolo Deo, qui illam virtutem verbo ſuo rebus creatis impreſſit, ut ergo cuivis, præcipue Theologis, aliiſque viris literatis, qui in cælibatu extra Medicinæ ſtudium viventes ex mera judicant ſpeculatione, evidenter conſtet quod diabolus nec ſemen e vivo corpore exituriens ex ipſo inſtanti, quo effluit, in uterum mulieris transferre, & quod ex illo ſemine nulla proles generari poſſit, fuſius caſtis auribus referenda ſunt etiam verecundo calamo, omnia requiſita, quæ in copula maris & fœminæ ad generationem prolis deſiderantur.

In amoris palæſtra Deus ſubjecit imperio voluntatis certantium tales ſpirituum ſanguiniſque motus, quales in organis generationis adeſſe voluit, ut non ſolum ſemen e teſtibus

eja-

ejacularetur in uterum, ſed ut etiam in amplexu ex determinatione amantium in ſemina ſpirituum fieret transfuſio, qui minimis ſeminum particulis talem imprimunt motum, qui ſufficit, ut ſemen illis imprægnatum, & ab utroque corpore jam ſeparatum, impreſſum in copula motum ſeorſim in matrice convenienti continuare poteſt in ordine ad novam prolem producendam, nam antequam mas amplectatur fœminam, non modo ſeipſum libidinis movet cogitatione, ſed & uxorem contactu, ſuæque voluntatis imperio ſanguinem & ſpiritus determinati verſus generationis organa, quibus debite repletis & extenſis magna animi corporiſque agitatione ſemen e teſticulis & veſiculis exprimit, ſpumoſamque ſubſtantiam per poros urethræ forti impetu confertim in uteri thalamum transfundit, quas Naturæ leges, & ordinem in actu generationis requiſitum, diabolum non poſſe in corpore aſſumpto vel phantaſtico æmulari, patebit ex ſequentibus.

Primo communiter docent Theologi, Angelos non poſſe ſine corpore implere miniſterium, quapropter dæmonibus incubis corpora in actu amoris erunt neceſſaria, quibus cum careant aliunde petenda ſunt, ſed qualia ſint, & unde illa acquirant corpora, valde dubium eſt, ita ut Divus *Bernardus* rei difficultate perplexus in hæc erumpat verba, Serm. 5. ſuper Cant.

Cant. *Cæterum utrum ipſis ſpiritibus naturalia ſint corpora, ſicut hominibus ſua, an vero ipſi ſpiritus, cum opus eſt, ſumant corpora, & ſint animalia, ſicut homines, immortalia tamen, quæ nondum ſunt homines, porro an ipſa corpora mutent, & verſent in forma, & ſpecie, qua volunt, quando apparere volunt, denſantes & ſolidantes ea, quantum volunt, cum tamen in ſui veritate præſubtilitate naturæ atque ſubſtantiæ ſuæ impalpabilia ſint, & noſtris omnino inattingibilia viſibus, an vero ſimplici ſubſtantia ſubſiſtentes, corpora, cum opus eſt, ſumant, rurſusque expleto opere ponant, in eandem, de qua ſumpta ſunt, diſſolvendo materiam, nolo ut a me requiratis, videntur Patres de hujuſmodi diverſa ſenſiſſe, & neſcire me fateor*; Dum ergo diabolus illam amoris dulcedinem nequit præſtare ſuccubis ſine corpore, illud neceſſario eſt cadaver, vel phantaſticum, ſed dæmon mediante neutro ſacra Veneris celebrare nequit, quia ex illis non poteſt ſeminalem exprimere rorem, nam utrumque ſemine deſtitutum eſt, nec in illis ſperma producendi virtute pollet; quod in corpore phantaſtico, per ſe evidens eſt, nec in cadavere, quia dæmon in illo ſanguinem in arteriis reſiduum non poteſt convertere in ſemen, quia illa immutatio ſine actione vitali impoſſibilis eſt, quam diabolus omnium conſenſu exercere nequit, nam nullus ſanguis corporis

poris emortui convertitur in ſemen, niſi primo in ventriculum ingeſtus ipſius aliorumque organorum ſanguificationi & vivificationi deſtinatorum denuo ſubeat, nec etiam ſecundum noſtram de ſeminis Natura teſtiumque uſu ſententiam, quia illæ particulæ, quæ in ſingulis partibus proximam acceperunt diſpoſitionem ad vitam, cum ſanguine vivo circulantes, etiam emoriuntur, ſimulac mors homini necis ſpiculum inflixit, nam ſublato vitali cordis ſanguiniſque motu, vel ſimul pereunte vel ante exſtincto ſpirituum vitalium, & animalium, & ſubtiliorum vitæ globulorum motu, illæ particulæ amittunt illam vitæ diſpoſitionem, cujus conſervatio dependet a continua dictorum ſpirituum irradiatione imo nec ullam iſtarum particularum per minimos arteriolarum poros in teſtium tubulos cribrationem Dæmon producere poteſt, partim ob collapſos & variatos per mortem poros, partim defectu cauſæ excitantis illam transcribrationem, quæ eſt libido mente concepta, quæ non cadit in diabolum, nec in cadaver, partim ob firmiorem dictarum particularum cum reliquis maſſæ ſanguineæ particulis nexum & implicationem, in defunctis, quæ non niſi mediante vitæ motu diſſolvi poteſt, ad quem dæmonis potentia ſe non extendit, nam ſi ſanguinem ejuſque minimas particulas poſſet revocare ad vitam, non apparet

paret ratio, quare non totum hominem, cujus vita consistit in vitali sanguinis spirituumque motu? non enim sufficit ad vitæ motum in cruore reproducendum cadaveris calefactio per diabolum procurata, quia illa non est altioris conditionis, ac si illa ab homine mediante igne producta fuisset, sine qua nec ipse dæmon calorem in cadavere excitare potest, nec satis est, quod diabolus sanguinem per arterias propellat, quæ impulsio non majoris est virtutis, quam si facta fuisset ab Anatomico siphonis ope; sed requiritur intestinus minimarum particularum sanguinis motus, qui à solo vitæ fermento originem ducit, quale immediate à solo procedit Deo, vel mediante homine in copula amoris imprimitur semini, cujus virtute ejus particulæ ad sanguinem reductæ motum illum in utero matris recipiunt, & novæ prolis aggrediuntur exordium, sine quo vitæ fermento diabolus non magis potest sanguini aliisve succis & spiritibus vitalem fermentationis imprimere motum, quam sine floribus cerevisiam, aut sine igne calorem, & consequenter non potest residuum cadaveris cruorem in semen convertere.

Objicies, diabolum posse assumere corpus hominis violenta morte exstincti, in quo sufficientem inveniet seminis copiam, R. casum illum possibilem, sed hic de esse spiritus animales, sine

ſine quibus dæmon non magis ex illo cadavere poterit ejaculari ſemen, quam ſine cultro ſcindere, vel ſecuri findere, nam ſpermatis ejaculatio requirit prævium ſanguinis & ſpirituum agitationem à libidine excitatam, qui imperio mentis determinantur ad organa generationis, ut evadant apta ad ſeminis expreſſionem & ejaculationem, nam Divus *Thomas part.* 1. *quæſt.* 217. *art.* 5. expreſſis docet verbis, quod homo per virtutem animæ non poſſit per ſe immutare vel movere corporalem materiam etiam intra proprii corporis ſphæram, multo minus poterit diabolus per ſe movere corporalem materiam in corpore, in quod nullum habet imperium, ut hoc mereatur aſſenſum, bene diſtinguendum inter ſimplicem & liberam tranſlationem, qua corpora à quavis cauſa de loco in locum moventur, & determinatam, qua certus corporum motus, certis eſt adſtrictus cauſis, aliud enim eſt producere motum, quo cadaver ſimpliciter de loco in locum transferatur, aliud eſt procurare motum, quo cadaver ambulet, qui poſterior non poteſt a diabolo produci niſi primo moveantur iſti muſculi, qui a Deo & Natura ad ambulationem promovendam ſunt determinati, qui muſculi non poſſunt alternatim in pedibus progreſſionum producere motum, niſi prius per quandam intumeſcentiam & detumeſcentiam alternatim abbrevientur & extendantur ſecundum lon-

longitudinem, quæ intumeſcentia fieri non poteſt niſi are corporea quæ dictos muſculos ſuo ingreſſu & egreſſu extendat, & contrahat, & vacua illorum interſtitia corporea occupet ſubſtantia, quam cum diabolus non habeat, neceſſario primo debet movere ſanguinem & ſpiritus, eoque dirigere, ut illos muſculos alternatim repleant & depleant, ergo in quocunque corpore alterutrum vel horum utrumque deeſt, non poteſt produci a dæmone motus ambulatorius, ſic ut quoties diaboli ſeſiſtant ſagis, non per veram ſed tantum apparentem ambulationem adveniant, hinc forſan ordinarie in tenebris ſuos adire aſſerunt : ſic etiam in hoc caſu, ubi adeſt ſemen, quia deſunt ſpiritus non poteſt fieri ſe minis ejaculatio, quæ certis muſculis & fibrillis eſt alligata, qui non niſi ſpirituum influxu moventur; non enim per ſolam virgæ erectionem fit ſeminis ejaculatio, nam Anatomici illam rigiditatem in ſanguine vel pene, alio humore ſiphonis ope immiſſo producere valent, ſed nunquam illam operationem inſequitur ſeminis ejaculatio. Sic licet dæmon impellendo ſanguinem erigeret virgam, non exprimeret ſemen, quod ſolis fibrillis aliiſve muſculis per ſpirituum influxum inflatis ejaculatur.

Quod auctoritate Pauli Zachiæ lib. III. titul. I. quæſt. IX. confirmatur. *Tertio*, ait, *certum eſt, in erectione concurrere plures ſpiritus*,

ritus, & plurimum calorem vivificum ad ipſas partes, neque ſolum intendi in eo actu membrum virile, ſed interiora etiam vaſa, quæ præſertim ad ejaculationem deſtinata ſunt, unde & ſemen ipſum plurimum vigoris nanciſci palam eſt, quæ omnia incaſſum machinata eſſet natura, ſine quibus tamen ſemen multo minus aptum ad generationem reddi neceſſarium eſt, itaque ſi præter prædicta impedimenta non fiat inſuper debita membrorum applicatio, non ſolum conceptionem eſſe difficilem, ſed impoſſibilem, aſſeverandum eſt. Quam debitam membrorum applicationem cum corpore aſſumpto diabolus perficere nequit.

Deinde conſiderandum in cadavere ſublato calore vitali mox ſemen incraſſari, poroſque anguſtari, quo minus ſemini, teſtibus, veſiculiſque incluſo, tranſitus datur: hunc ejaculationis apparatum fuſius explicuimus in gratiam Theologorum, qui materiam voluptatis non tam curioſe inquirunt, ſed ſimpliciter iſti idææ acquieſcunt, qua concipiunt, diabolum ſemen de loco in locum transferre poſſe, neglectis reliquis Naturæ circumſtantiis, ubi in noſtræ explanationis illuſtrationem obvia ubivis dantur exempla, nam diabolus poteſt quidem ſine ſubſidio alterius corporis pomum transferre de loco in locum, ſed non ex illo exprimere ſuccum, niſi collocetur inter alia corpora, quæ a diabolo mota liquorem exprimant:

nam diabolus poteſt quidem ſine aliorum corporum ſubſidio omnibus rebus imprimere motum, ſed non omnes motum in modos, vel differentias.

Verum longe major eſt difficultas pro diabolo, ſi velit conjugis defungi officio cum ſuccuba, quando aſſumit cadaver, in quo ſeminalis morbo conſumpta eſt ſubſtantia, quo modo ſemen ex alio vivo corpore exituriens deferat in teſtes & veſiculas ſeminarias, ex quibus in amplexu ſemen effundendum, ſi maritus, munus probe explere velit, nam ſpermatis ſubſtantia eſt nimis craſſa, ut illam per poros cutis & carnium trajiciat, nam illi carent tali diſpoſitione, ergo feminis illa traductio abſolvenda eſt per ordinarias alimentorum vias à quibus non dantur patuli ductus, per quos craſſa ſeminis ſubſtantia immediate poterit in organa generationis transferri, ſed illa motus linea deſcribenda eſt ab inteſtinis per vaſa lactea, vel meſeraica ad cor, in de per arterias in teſtes, ſed cum ne flatus quidem ope ſiphonis quantumvis fortiter adacto ex inteſtinis in vaſa lactea impelli poſſit, videtur rationi contrarium, quod craſſior ſubſtantia motu à Dæmone impreſſo illorum vaſorum ſubeat orificia, ubi aëri, ſubſtantiæ multo tenuiori, per motum arte vel natura impreſſum denegetur in cadavere ingreſſus; nam diabolus æque in applicando activa paſſivis Naturæ legibus aſtrictus

eſt,

eſt, ac ipſe homo, neque magis poteſt tollere ſemini quantitatem ac mens humana, deinde illa ſeminis in corde cum ſanguine commixtio requirit iterum ſeparationem in arteriolarum poris & extremitatibus in teſtibus, quæ ſeminis à ſanguine ſeparatio, ejuſque tranſcolatio fieri nequit ſine motu vitali, quem diabolus in cadavere producere nequit, ut in fundamentis ſuis etiam docet magnæ auctoritatis Medicinæ Profeſſor Plempius in Univerſitate Lovanienſi: Nam illud non vivit vita prima per diabolum, ideoque operationes viæ exercere non poteſt, quia vita ſecunda præſupponit primam, quam diabolus cadaveri infunderc non valet, quapropter generationis humani myſterium merito inter Naturæ arcana eſt ſecretorum ſecretiſſimum, è cujus ſola contemplatione *Galenus*, aliique gentiles convicti ſunt in conſcientia ad cognoſcendum verum Deum qui ſibi ſoli reſervarit concurſum in actu generationis congruum, ſoluſque ſupplere poteſt defectum in neceſſariis ſecundum Naturæ legem requiſitis, & in prima parentum creatione ſua cavit benedictione, ne maligni ſpiritus ſemini humano immiſcerent ad evitanda abſurda inferius memoranda.

Ex recentiori Philoſophandi ratione multi deducunt, Angelos ſe ſine corporum miniſterio videndos & tangendos præbere poſſe, nam cum res corporeæ nullam aliam vim habent,

quam ut moveant localiter, vel locali reſiſtant motui, corpora non alia vi ſe præbent ſenſibus, quam ea, qua proprios motus tanquam proprios characteres ſeu ſpecies imprimant ſenſibus, vel qua reſiſtant alienis motibus: quapropter Angelus, ut ſe exhibeat nobis, non erit neceſſe, ut ſibi coaptet aëreum corpus, tali modo compactum, conſtipatum, figuratum & coloratum, qualis eſt figura, durities, pondus, & color iſtius corporis, in cujus ſpecie optat apparere, ſed ſufficere videtur, quod illa eadem vi, qua putatur aëreum illud corpus compingere, & formare, & movere, lucem incidentem refringat & reflectat ad oculum eadem menſura, eodemque modo, quo ſolis radios refringeret & reflecteret, ſi ad eſſet corpus illud, in cujus ſpecie ſe vult exhibere hominibus; Verum quidem eſt, quod hac ratione nos facilius illa expediamus difficultate, quæ nobis incumbit ad explicandum, quare Angeli ſedent in conſpectu unius, & non alterius vicini, cum aëreum illud corporis aſſumpti involucrum, quantum in ſe eſt, omnibus indifferenter, & eque ſui tranſverberet ſpecies; attamen cum ſupra docuimus, angelos quidem poſſe omnibus Corporibus imprimere motum, ſed non omnes motuum determinationes, & differentias; nam cum lucis refflexio & refractio non ſit ſimplex motus localis, ſed eſt certus motus localis modus ex diverſitate me-

mediorum, in quæ lux incidit neceſſario ortus, & cum omnis motus ex natura ſua ad rectam tendat lineam, radii ſolis illam legem obſervant accurate, niſi ob diverſa reſiſtendi media reflectarentur, cum itaque ſubſtantia immaterialis per ſe non habeat medium reſiſtentiæ, per quod fieret lucis refractio, neceſſario ad lucem refringendam indiget miniſterio corporis ejuſdem ponderis & qualitatis, quali gaudet illud corpus, in cujus ſpecie ſe in conſpectum dare conatur, quia ſubſtantia immaterialis non poteſt reſiſtere motibus alienis ad modum & menſuram reſiſtentiæ, quam ad eoſdem motus exercet ſubſtantia materialis, aliud enim eſt reſiſtere corporum motibus, aliud corporibus motum imprimere; aliud eſt accelerare, vel retardare motum, aliud corpora mota refringere vel reflectere, nam in reflexione non ſolummodo conſiderandus eſt motus aëris, ſed etiam radiorum ſolis aëris interſtitia occupantium, qui non duntaxat verſus oculum impelli debent, ſed etiam debent deferre imaginem objecti in oculum ex quo reflexionem receperunt, & ſicut diabolus nequit projicere umbram ſine corpore, ita non poteſt radios lucis incidentis ita movere, ut ſimul deferant in oculum imaginem alicujus corporis ſine illo, vel ejus analogo, vel tolleret ordinem univerſi, quod ejus potentiam ſuperat,

nam proprii isti motus sive characteres vel species sunt puri modi, qui à suo modificato separari nequeunt.

Denique cum diabolus non possit operari in instanti, non potest adesse homini, cujus effluit semen, eodem instanti, quo concumbit cum saga, nec esse simul in duobus locis, ergo quando sagas excitat ad libidinem, debet sibi procurare illud exituriens semen per diabolum ministrum. Viden, quantopere laborandum in explicando modo applicationis, non enim sufficit nuda istius regulæ allegatio, in qua regula quantum fallantur literati, qui rei anatomicæ sunt ignari, & quantopere etiam incautos fallat Medicos, ex dictis liquet quam imprudenter à quibusdam asseritur, quod diabolus omnia debiti conjugalis requisita possit solvere, qua priapismus ille, quem diabolus virgæ corporis assumpti inducit, magis convenit cum illo, qui olim apud Ægyptios in sacris Chiridis observabatur, in queis cum magna veneratione rigidum sagæ simulacrum ex ebore vel ligno confectum in Veneris gremium reponebatur, quam cum satyriasi corporis viventis, quod sagarum confirmant assertiones, quæ loco voluptatis dolores, loco blandi caloris frigora in tali copula se semper percepisse referant.

Considerandum præterea, si Angelis infusa sit tanta rerum naturalium peritia, illam perfectiori

fectiori modo cadere in Angelos bonos, quam in malos, nam extra dubium videtur, quod mali æque ob prævaricationem legis ac homines aliquam perfectionis jacturam fecerint, nam ab eo tempore, quo ejecti sunt è Divinæ Majestatis throno, caruerunt beatifica Dei visione, in qua tanquam in speculo Naturæ creatæ vires, & rerum sublunarium arcana contemplari potuerunt, naturæ liber ipsis intercluſus est; quo scientiarum subsidio etiamnum gaudent Angeli boni, qui tutelæ hominum, regnorumque custodiæ delegati sunt, qui ob hanc provinciam deberent esse magis soliciti ad procuranda tam ea, quæ justo desiderio ob commune bonum desiderant, quam ea, quæ sunt necessaria ad ipsos in vero Dei cultu continendos, quam mali à vero Deo avertendos, quapropter valde mirum, quod nulla exstet historia de generatione prolis per bonos Angelos genitæ, cum illi æque ex communi hypothesi semine alieno possunt implere fæminarum uteros, quatenus magno prolium rapiuntur desiderio, quam dæmones succubarum; quod certe in Reginis & magnatibus excusabile foret ad præcavenda enormia bellorum vitia, & sublevandas hominum miserias, quibus premuntur subditi, dum defectu prolium Regnorum jura ferro disputantur; nulla enim apparet recte philosophanti ratio, quare Deus minus permitteret ejusmodi

di ſeminis applicationem Angelis bonis ad evitanda mala, quam malis ad facienda, ſic Angelus Domini illegitimum Agar concubitum laudavit, quæ ancilla Ægyptia uxoris Abraham ex mandato Dominæ ſe marito ſubjecerat, dum ergo nullibi fiat mentio de potentia generativa bonorum Angelorum, & nullum fide dignum detur exemplum malorum de prole arte diabolica concepta & enixa, ſed tota rei veritas dependet à confeſſione ſagarum, quæ impiæ & mendaces ſunt, nulla nos ratio cogit admittendi in dæmone talem generandi virtutem ad confuſionem generis humani, quæ naturæ legibus & ordini repugnat; nam ſi diabolus hac polleret facultate, procul dubio tanquam infenſiſſimus caſtræ humilitatis hoſtis impleret omnes vel plurimas moniales ad vitam religioſam funditus evertendam, nam poterit æque dormientium ac vigilantium uteros, & tam bene illarum, quæ enectam habent carnem, quam quæ ferocia hoſtis domeſtici tentantur, alieno ſemine implere, qua ratione monaſteria reddet adeo otioſa, ut nulla cordata virgo potuerit induci ad ingreſſum & imitationem alicujus religionis, quin imo diabolus odio vaticano in genus humanum turgidus omnem Dei cultum ex animis hominum deleret, nam ſemen humanum abutendo & belluarum, homines à brutis, & brutæ ab hominibus naſci procuraret, quæ generis humani

mani confusio mentis tolleret immortalitatem quæ recta ad atheismum est via.

Ejusmodi & alia absurda sufficiunt ad convincendos illos, qui ad veritatem in frivolis impiarum sagarum confessionibus vindicandam statuunt, ex semine præciso per diabolum in uterum immisso prolem posse nasci: inane vero est refugium illorum, ut se extricent hisce difficultatibus, asserentium, Deum hoc non semper diabolis permittere; quibus respondendum ex ante dictis, hæc diabolorum facultas vel est congenita, vel superaddita, de posteriori non est controversia, nam scimus Deum omnipotenti sua virtute mille modis posse producere homines; Sed quæstio tantum intelligitur de virtute Dæmoni congenita & naturali, ad quam diabolus non specialiori concursu, sed tantum generali indiget, quo ad operationem omnium causarum secundarum concurrit, Deus, quem Deus non magis substrahit diabolo quam igni ad suas actiones naturales edendas, nam rebus creatis non solet adimere generalem concursum nisi certis in casibus, quibus judicet necessarium, ut divina potentia supra creatam manifeste hominum oculis exponatur. Merito ergo concludimus, diabolum virtute sibi congenita non posse celebrare Sacra Veneris in corpore assumpto, vel phantastico, sed tantum priapismum.

di ſeminis applicationem Angelis bonis ad evitanda mala, quam malis ad facienda, ſic Angelus Domini illegitimum Agar concubitum laudavit, quæ ancilla Ægyptia uxoris Abraham ex mandato Dominæ ſe marito ſubjecerat, dum ergo nullibi fiat mentio de potentia generativa bonorum Angelorum, & nullum fide dignum detur exemplum malorum de prole arte diabolica concepta & enixa, ſed tota rei veritas dependet à confeſſione ſagarum, quæ impiæ & mendaces ſunt, nulla nos ratio cogit admittendi in dæmone talem generandi virtutem ad confuſionem generis humani, quæ naturæ legibus & ordini repugnat; nam ſi diabolus hac polleret facultate, procul dubio tanquam infenſiſſimus caſtræ humilitatis hoſtis impleret omnes vel plurimas moniales ad vitam religioſam funditus evertendam, nam poterit æque dormientium ac vigilantium uteros, & tam bene illarum, quæ enectam habent carnem, quam quæ ferocia hoſtis domeſtici tentantur, alieno ſemine implere, qua ratione monaſteria reddet adeo otioſa, ut nulla cordata virgo potuerit induci ad ingreſſum & imitationem alicujus religionis, quin imo diabolus odio vaticano in genus humanum turgidus omnem Dei cultum ex animis hominum deleret, nam ſemen humanum abutendo & belluarum, homines à brutis, & brutæ ab hominibus naſci procuraret, quæ generis humani

mani confuſio mentis tolleret immortalitatem quæ recta ad atheiſmum eſt via.

Ejuſmodi & alia abſurda ſufficiunt ad convincendos illos, qui ad veritatem in frivolis impiarum ſagarum confeſſionibus vindicandam ſtatuunt, ex ſemine præciſo per diabolum in uterum immiſſo prolem poſſe naſci: inane vero eſt refugium illorum, ut ſe extricent hiſce difficultatibus, aſſerentium, Deum hoc non ſemper diabolis permittere; quibus reſpondendum ex ante dictis, hæc diabolorum facultas vel eſt congenita, vel ſuperaddita, de poſteriori non eſt controverſia, nam ſcimus Deum omnipotenti ſua virtute mille modis poſſe producere homines; Sed quæſtio tantum intelligitur de virtute Dæmoni congenita & naturali, ad quam diabolus non ſpecialiori concurſu, ſed tantum generali indiget, quo ad operationem omnium cauſarum ſecundarum concurrit, Deus, quem Deus non magis ſubſtrahit diabolo quam igni ad ſuas actiones naturales edendas, nam rebus creatis non ſolet adimere generalem concurſum niſi certis in caſibus, quibus judicet neceſſarium, ut divina potentia ſupra creatam manifeſte hominum oculis exponatur. Merito ergo concludimus, diabolum virtute ſibi congenita non poſſe celebrare Sacra Veneris in corpore aſſumpto, vel phantaſtico, ſed tantum priapiſmum.

Quamvis hæc sufficiant ad nostræ opinionis confirmationem, & ex dictis abunde constet, quod diabolo non sufficiat vis semen præcisum de loco in locum transferendi, ut verum actum amoris expleat, sed quod illud semen prius inferendum sit generationis organis, corporis assumpti, vel phantastici, e quibus in sagarum gremium effundatur in copula, quæ cadaveris organa illud semen sine penetratione dimensionum non recipiunt, quod diaboli superat vires, quia tamen contraria opinio tam altas egit radices præcipue in Theologorum & Juristarum animis, illam meris auctoritatibus defendentium, ut non erubescant acrioribus quam Theologos decet, uti in contrarium sentientes invectivis, quasi nemo, nisi careat sensu, queat contradicere, *imo id negare nihil sit quam insanire*, operepretium duximus, auctoritatem auctoritati opponere.

S. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis primariis noni sæculi luminibus annumerandus, qui ob summam doctrinam multum auctoritatis in Imperatorum *Ludovici Pii*, ejusque filii *Lotharii* curiis sibi conciliaverat, tractatum contra plebis sui temporis superstitionem composuit, qui si aliqua tempestas exoriretur, aut aliqua lues, illico Veneficis adscribebant, plures adducit rationes, quibus probat, in Veneficorum potestate non esse, immitare Naturæ or-

ordinem, *ſed prodigia ipſis attribui ſolita non niſi effectus mendaciorum unius, & credulitatis alterius eſſe.*

Quoad auctoritates Veterum Patrum de potentia generativa diaboli, illæ non ſunt magnopere æſtimandæ, nam plerique tam Latini quam Græci, ut *Origenes*, *Lactantius*, *Hilarius*, *Joannes Caſſianus*, *Joannes Damaſcenus*, aliique Catholici iſtius temporis ſcriptores ſenſerunt Angelos eſſe corporeos, *Platonem* & *Philonem* ſecuti de opificio mundi, quibus ſubſcripſit *Synodus Nicæna* actione quarta, quo loco refertur, hanc eandem fuiſſe *Magni Baſilii*, *Athanaſii*, *Methodiique* ſententiam, cui *D. Auguſtinus* variis in locis ſuum adjecit calculum, *qui ſecund. ſuper Geneſ.* ad lit. cap. 17. & 3. ejuſdem *lib. cap.* 10. *docet*, Angelos habere corpora aërea per mortem tamen non diſſolubilia, & quod vigeant in illis elementa apta ad agendum, cujuſmodi ſunt aer, & ignis æthereus, ſicut humus & humor ſunt magis apti ad patiendum, hinc ad *Mebridium epiſt.* 115. vocat Angelos animantia aërea, & æthera, imo *Marcus Epheſius*, *Joſephus*, *Athenagoras*, *Tertullianus*, aliique vetuſtiores Patres Angelis adſcripſerunt ſemen, unde minime mirum, quod illi, qui horum ſequuntur veſtigia, hallucinati fuerint, nam ex falſo non ſequitur niſi falſum, quia non ſufficit doctum eſſe, ut ſupra monui niſi quis doctus ſit in illa ma-

materia, de qua est quæstio, quapropter in materia conceptionis ex semine præciso per dæmonem incubum non est magna habenda fides Theologis, & juristis, qui nullam rerum Anatomicarum habent peritiam, nec illis Philosophis, qui ea carent scientia, uti nec Medicis, qui sola certantes auctoritate alienis tantum vident oculis; id circo laudandus magnus hujus Sæculi Scriptor Medicus *Paulus Zachias*, qui *lib.* VII. *tit.* I. *quæst.* VII. De monstris ingenue & candide fatetur se cum universo grege errasse his verbis. *Ego quidem*, (licet *lib.* 3. harum quæstionum tit. 1. quæst. 8. num. 8. & 19. *ex communi opinione contrarium senserim*) *nisi, Sancta Mater Ecclesia doceat, non dari talem conceptionem aut pactum de factis existimaverim, imo dixerim, in via Naturæ esse impossibilem.*

Videant porro Theologi, quomodo diutius communi opinioni adhærere possint, cum hæc sternat regiam viam ad tollendum Christianismum, nonne ex hac hypothesi merito nobis Christianis Judæi, Turcæ, Gentes, Sociniani, aliique Schismatici exprobrabunt, simile quid contigisse in conceptione Deiparæ? hi risu & cachinnis pleni extorquebunt a nobis certitudinem, qua nobis constet Quod, cum Angelus Gabriel annuntiaverit Mariæ conceptionem, non simul ejus uterum impleverit semine præciso, cum rubore legimus a Chri-

Chriſtianis doceri, Dæmones efficere poſſe, ut puella mente & corpore permanens virgo concipiat, & pariat, quia diabolus, ut tradunt, poteſt virgini dormienti ſemen fœcundum aliunde præciſum infundere ſine copula aſſumpti corporis, in qua conceptione virginitatis clauſtra manent in corrupta, & fœtu jam partui proximo, poteſt Dæmon virgini matri tollere ſenſum doloris, & infantem partu Cæſareo in lucem edere, quo enixo vulnera mox conſolidare; in qua arte ipſum Medicos & Chirurgos ſuperare volunt, quem caſum dum naturaliter cenſent poſſibilem, quid aliud faciunt, quam quod ingenii quaſi ſubtilitatem meris demonſtrando verbis divini myſterii reverentiam convellant. Mehercule concutere præcipuum Chriſtianiſmi myſterium ad fallaces & incertas impiarum ſagarum confeſſiones defendendas, piaculum eſt; Adhibere fidem mendaciorum Patri ad infringendam increatam veritatem, temeritas eſt. Naturam tanquam ceream flectere ſecundum inanes præjudicii noſtri ſpeculationes ad Dæmonis potentiam extendendam, imbecillitas intellectus eſt. Omnem omnino opinionem e Schola Chriſtiana explodendam, & auctoritate Eccleſiæ damnandam cenſemus, quæ vel minimam dubitationis umbram revelatis poteſt projicere myſteriis, alia enim via ſervari poſſint iſtæ ſagarum confeſſiones, ſi quid veri ſubeſſe poſſe credamus, dicendo, quod

quod diabolus viro obſeſſo, aliove mancipio libidinoſo abuſus fuerit imprimendo ſagæ tam fortem idæam, quod judicet ipſiſſimum eſſe diabolum cum quo jam congreditur, qui alias ipſius perſonam induit. Nec obſtat Sacri Codicis textus, quo filii Dei dicuntur ludere cum filiabus hominum, cujus alius non eſt ſenſus, qnam quod filii Regum & Principum conſuetudinem habeant cum filiabus civium & ruſticorum, cum paſſim Reges in S. S. Dii vocentur, plebei homines.

Quantum ad Sagarum confeſſiones, illæ confirmant noſtram opinionem, nam omnes illos congreſſus doloroſos & frigidos fuiſſe fatentur, quæ non ſunt veræ amoris copulæ fructus, quamvis multi aſſerant argumentum de carentia voluptatis in tali copula ex ipſa confeſſione ſagarum petitum eſſe futile, meo judicio eſt efficaciſſimum pro noſtra concluſione, quod non futili diſtinctione illuditur, quaſi diabolus omnia perfectiſſime imitaretur quæ in vera viri & fæminæ requiruntur copula, quando vult celare, ſe eſſe dæmonem, quando vero aperte congreditur, frigidum quid & fictitium exhibere, quod rectæ rationi repugnat, & æquitati dæmonis pro tanto politico, ut ipſum deſcribunt, nam ſic ſibi loco amoris odium contraheret, & ſagæ pactum initum reſcinderent, ſi earum libidini nulla fieret ſatisfactio, ſed quia, ſi habeat poteſta-

teſtatem, rationi congruum eſt, ut utroque caſu officio veri proci defungatur, ut illas ad amorem alliciat, iſtas in ſui amore conſervet, adeoque certum videtur, quod incuborum conſuetudines cum feminis non ad actum Veneris ſed priapi referendæ ſint: Deinde illæ confeſſiones nihil concludunt pro realitate objectiva, ſagas ab in cubis vero & reali extra phantaſiam amplexu fuiſſe complexas, etiamſi ſecum diabolo rem habuiſſe juramento confirment, nam dæmon ſagarum phantaſiæ tam firmam poteſt imprimere idæam, ut credant ſe vere fuiſſe expertas illam Venerem, cujus hiſtoriam narrant, ut nobis ſomniantibus quotidie & quando hypochondriacis obtingit, unde major deſideratur clementia apud Juridicos in extorquendis per torturam vel minas confeſſionibus, cum nihil certi ex illis concludatur, quod optime inſinuat *Phil. Numannus*, oppidi Bruxellenſis Secretarius in literis ad R. P. *Martinum Delrio* datis. *Manifeſtum eſt, Doctores de materia ſagarum ſcribentes ad unum omnes hoc admittere, quod mulierculæ à dæmone ſæpe illudantur ac Decipiantur, ita ut per imaginationem cogitent, & credant, certe ſe perpetraſſe ac feciſſe veraciter, ea quæ tantum in ſola phantaſia opera diaboli mentem obfuſcantis obverſata ſunt: non ſatis tuto ergo agere judices, quando confeſſionibus ſagarum ſive voluntariis, ſive per-*

vim

vim extortis, fidem adhibentes eaſque pro ſufficientibus habentes probationibus, miſeras illas ac forte inſontes ſuppliciis tradunt, quæ cum deceptæ ſunt, negare non poſſunt ea, quorum ſe re vera reas eſſe putant. Quamobrem cuivis judici merito ſcrupulus naſcatur, quia confeſſio in hac re pro ſufficienti probatione haberi non debeat, cum fieri poſſit, ut ex errore deceptæ mentis procedat confeſſio, quo igitur pacto judex poterit dignoſcere; utrum in individuo reus, reave, quæ ei offertur, ſit per imaginationem defuſa, vel vere commiſerit, quæ fatetur. Quæ verba non adferimus, ac ſi judicaremus omnia quæ in Sagarum narrantur hiſtoriis, phantaſiæ eſſe adſcribenda, ſed quia omnium Theologorum ac Juridicorum in omni Sæculo ſuffragia melancholia aſſeritur pabulum diaboli; in omni ſagarum examine adhibendos peritiores Medicos ad dijudicandum, an illa, quæ fatentur ſagæ, proveniant ex errore mentis per morbum melancholicum deluſæ vel an talia meris Naturæ & artis viribus ſint poſſibilia, ut judices, ſecurius procedant ad pœnas pontificum, Cæſarum, Regumque decreto ſtatutas infligendas, nam morbum a malitia diſcernere ſolius eſt Medici, naturale à ſupernaturali ſolius Phyſici, cujus judicio Pontificiæ leges & decreta imperialia in tali materia ſe ultro ſubjiciunt, in qua cautela hactenus peccatum eſt, nam ſine præ-

prævio & ſufficienti excellentiorum Medicorum examine & judicio judices non poſſunt tuto procedere ad condemnationem, nam præſtaret, illos decem & plures reas abſolvere, quam unam inſontem damnare; ita memini in Belgio reum homicidii fuiſſe abſolutum ea præciſe de cauſa, quod ſemet ipſum ſponte Prætoris poteſtati tradiderat; quia repugnat juri Naturæ, ſemet ipſum in vincula conjicere ad mortem ſubeundam, & ita propriam ſuæ necis eſſe cauſam, judicantes hoc oriri ex tædio vitæ, cujus intuitu homo poſſet patrare homicidium, ut hoc mifera liberaretur vita, murmurando erga Deum de nimis anguſta ſua conditione, adeo ut ille vere referendus erat inter αὐτόψονες, qui ſibi violentas inferunt manus, quod omni modo impediendum. Nec ideo hunc textum adferimus, ac ſi foret animus rejiciendi reſponſiones *P. Delrio* ad illum datas in omnibus caſibus, nam cum ejus ſecunda inquiſitionis regula facimus *attendendum ſcil. an quæ aſſerant, Dæmoni poſſibilia*, ut ſunt corporales tranſlationes, ſubitaneæ corporum ſubſtituriones in loca remotorum, damnorum illationes aliaque ejuſmodi quæ ſimplici motu locali abſolvi poſſunt, ſed veram Dæmonis cum ſuccuba copulam, ex eaque poſſibilem prolem impoſſibile eſſe ſupra ſatis probavimus, infra adhuc latius de illo caſu acturi a *Delrio* diſcedimus, nam recedendum a communiori ſen-

tentia si veritas naufragium faciat; nec obstant nobis verba Plutarchi à Delrio allata, *Quodammodo Philosophiam tollunt, qui rebus mirabilibus fidem non adhibent, oportet autem quam ob causam aliquid fiat ratione tractare, quod vero id fiat, ex historia sumendum est*, ideo nos quia communiter dant rationem, vel potius verba contra rationem, nos aliam damus, qua clare & evidenter cognoscimus illa fuisse facta eo modo, quo narrantur historiis, sed diabolum in tali casu uti corpore cum ista idea, sub qua diabolus sagæ apparere & procari solebat, sed quia discretio spirituum; ut docet eminentissimus *Cardinalis de Bona*, est opus difficile, multa obsitum caligine, casuum veritate perplexum, & quibusdam quasi cavernosis anfractibus impeditum, quod omnem quærentis diligentiam occurrentibus sæpe indissolubilibus nodis ita eludit, ut modo elabatur quod inventum est, modo rursus appareat, & iterum absorbeatur, oportet judices esse magis scrupulosos, & circumspectos in tollenda vita, quam reddere non possunt, nam juxta sapitentis dictum, *qui facile credit, ferus est corde*, præcipue in his casibus, in quibus experientia ubique terrarum docuit, ignaram, furiosam & æmulam plebem esse nimis facilem & præcipitem ad homines insimulandos de artibus magicis, suosque ad judiciale tribunal deferendos, simulac subito aliquod damnum,

vel

vel repente infirmitatem acceperit; ſed judicibus hic Domini noſtri ſervatoris ſequenda eſt ſententia, ut ſint probabiles trapezitæ probos nummos ab adulterinis ſubtiliſſime diſcernentes; ne ſimul cum Eliu Buzite à Deo rereprehendantur, *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis*, nam ſi teſte *Bernardo* ipſe homo nulla certitudine, ſed meris probabilibus conjecturis diſcernere poſſit immiſſiones per angelos malos à cogitationibus, ſive affectionibus, quæ ex nobis oriuntur, quomodo judex poterit habere certitudinem de illis, quæ varium & mutabile ſemper fœmina cum diabolo clandeſtine feciſſe narrat; cum nulla regula excogitari poſſit, quæ in aliqua ſingulari caſu non fallat, aut fallere non poſſit præter eam, quæ eſt deſurſum à Patre luminum deſcendens, ſed quia certa demonſtratione judici conſtare non poteſt, quod ſancti ſpiritus illuminatione edoctus proprium ab alieno, extrinſecum ab intrinſeco diſcernat, quia nec omnia illa extra imaginationem ſunt, quæ ipſi ſancti referuntur vidiſſe, nam *S. Joannes* ſcribit ſe vidiſſe *boves*, *leones*, *aquilas*, & alia ejuſmodi in cælis, quæ revera ibidem non dantur, ſic *Helias* cognovit adeſſe Dominum non in turbine, non in igne, non in commotione, ſed in ſibilo auræ tenuis, intus intellectum prophetæ excitantis, quapropter in materia confeſſionis ſagarum de conceptione ex

Dæmone incubo Iudex tutiùs inclinabit ad mitiorem partem juxta communem regulam, favores ab illo ampliandos, & odioſa eſſe reſtringenda, nam ſpiritus humanus eſt veluti abyſſus profundiſſima plena latibulis & ſpecubus unde St. Aug. lib. 4. Conf. c. 14. *Grande profundum eſt homo, cujus capillos tu Domine numeratos habes & non minuuntur in temotus cordis ejus.* Univerſim docent S. Patres, nullum hoſtem homini pernitioſorem, quam proprium ejus ſpiritum; nihil eſt tam deforme ab imaginatione confictum, quo ille non occupetur, nihil tam abſo. um & inane, quod non amplectatur, nihil tam abſurdum, quod non exequatur; nam vanam ſui gloriam in omnibus quærit, & ſanctiſſima quæque a vero fine abſtracta in ſe ipſum tanquam in finem horribili ſacrilegio convertit: qua propter Joannes Bona S. R. E. Cardin. in ſuo de ſpirituum diſcretione libro prudenter in hæc erumpit verba, *quare unus quiſque debet cautius ſibi, & diligentius à ſe ipſo quam à diabolo cavere*, nam variis homo diſtrahitur perturbationibus, quæ animum captivum trahunt, & turbidorum motuum germinaria ſunt, quorum diverſitas dependet à diverſitate cæli, aëris, alimentorum, educationis, converſationis, congenitæ temperiei, quas varias humanorum motuum cauſas Tertullianus cap. 20. de ſimilitudine vegetabilium illuſtrat. *Ut frugum ſeminibus una generis*

cujuſ-

cujuſque eſt forma, proceſſu tamen varii, alia integro ſtatu evadunt, alia etiam meliora reſpondent, alia degenerant pro ratione cæli & ſoli, pro ratione operis & curæ, pro temporum eventu, pro licentia caſuum, ita & animam licebit nominare ſemine uniformem, fætu multiformem. Quam admirandos & deplorandos ſpiritus humanus producat effectus in corporibus, quæ atra turgent bile, nemo facile adhibebit fidem, qui in Medicorum ſcriptis non eſt verſatus. Sic nota eſt hiſtoria viri Colonienſis, qui firmiter ſibi perſuaſum habebat, diabolum ſuam fixiſſe ſedem in extremitate naſi ſui, à quo judicio nulla tenus diverti potuit; in praxi noſtri occurrerunt diverſi, qui ſe ignibus æternis ad damnatos judicantes audacter pronuntiabant, ſe videre diabolos per cubicula diſcurrentes, ut earum animas in gehennas præcipitarent, in quibus fruſtraneæ & irritæ erant Eccleſiaſticorum & amicorum conſolationes & dehortationes, ſed quæ expurgata attrabile fixa cogitatione per ſtratagema quaſi labefactata, & phantaſmate illuſtrato, per hominem Angelico indutum apparatu de nocte ſubito cum incenſis cereis ingreſſum, ipſoſque decumbentes ſalutantem, in nomine Dei æternam ſalutem promittentem, ad debitam mentis ſuæ præſentiam redierunt; hinc ad cautelam ab Eminentiſſimo in pietate & doctrina Joanne *de*

Bona. S. R. E. Cardinale cap. 4. descriptam Theologis & Juristis accuratius attendendum esse arbitramur, qui non minus sincero quam prudenti pectore his lectorem alloquitur verbis. *Hoc item observandum, sæpe multa diabolo tribui, quæ depravatæ ac perturbatæ Naturæ Germina sunt; corporum enim constitutio, & humorum; præsertim melancholia, exuperantia, raraeque consuetudines, ac subitaneæ perturbationes gravissimas efficiunt commotiones, adeo ut multi a malo spiritu obsessi & possessi perperam existimentur, qui non nisi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus: nam fervor ætatis, & complexionis, ingenii acumen & vehemens apprehensio, varios aliquando effectus excitant, lacrymas & suspiria, altissimos animi sensus & cogitationes, ecstases quoque & alienationes, quæ cum a causis naturalibus oriantur ab ignaro tamen divino spiritui adscribuntur.* Verum, quia in multis regionibus ignara plebs in suis defenditur erroribus a pastoribus rerum naturalium imperitis, refugiendo mox ad nudum illum diabolum, quoties morbo aliquo diuturno vel insolito symptomate affliguntur, tres quatorve rarissimas ægrarum historias in praxi nostra observatas enarrabimus, partim ut creduli hanc malam consuetudinem desuescere adsuescant, partim ne medicæ facultatis practici insolite decumbentes

bentes tam facile deſerant, ſed attentius omnes circumſtantias perpendentes eorem curam aggrediantur.

Anno 1657. Ultrajecti vidi puellam octo annorum, quæ aliquot annos valetudinaria tandem incidit in atrocem ventris dolorem, in tempore adeo increſcens, ut ſingulis diebus circa quartam, & noctibus circa primam, vel paulo citius aut ſerius ratione tardioris vel tempeſtivioris prandii vel cænæ, tam diris & vehementibus torqueretur doloribus, qui teneræ hinc puellæ tam deplorandas convulſiones, tam admirandas corporis pariebant flexuras, ut quandoque vehementia doloris irritata ſaltu ſe ad altitudinem ad 4. aut 5. pedum elevaret, qui hora una aut altera elapſa adeo mitigabantur, ut nullum omnino veſtigium relinquerent, quamvis corpus indies macilentia conſumeretur; hæc periodica doloris reverſio tam certis horis ſine præviis ſignis incantamenti arguebat ſuſpicionem, præcipue cum ille nullis cederet remediis, ſed Anatomia poſt mortem contrarium edocuit, nam ſecto cadavere invenimus omnes ferme Meſenterii glandulas craſſo & caſei inſtar coagulato, ſucco obſtructas, ut non daretur liber chylo poſt ventriculi digeſtionem per vaſa lactea, dictas glandulas perreptantia, tranſitus, ſed continua per periſtalticum inteſtinorum motum propulſione circa horam diſtributionis chyli

Bona. S. R. E. Cardinale cap. 4. descriptam Theologis & Juristis accuratius attendendum esse arbitramur, qui non minus sincero quam prudenti pectore his lectorem alloquitur verbis. *Hoc item observandum, sæpe multa diabolo tribui, quæ depravatæ ac perturbatæ Naturæ Germina sunt; corporum enim constitutio, & humorum; præsertim melancholia, exuperantia, raraeque consuetudines, ac subitaneæ perturbationes gravissimas efficiunt commotiones, adeo ut multi a malo spiritu obsessi & possessi perperam existimentur, qui non nisi naturali morbo exagitantur. Idem accidit in bonis motibus: nam fervor ætatis, & complexionis, ingenii acumen & vehemens apprehensio, varios aliquando effectus excitant, lacrymas & suspiria, altissimos animi sensus & cogitationes, ecstases quoque & alienationes, quæ cum a causis naturalibus oriantur ab ignaro tamen divino spiritui adscribuntur.* Verum, quia in multis regionibus ignara plebs in suis defenditur erroribus a pastoribus rerum naturalium imperitis, refugiendo mox ad nudum illum diabolum, quoties morbo aliquo diuturno vel insolito symptomate affliguntur, tres quatorve rarissimas ægrarum historias in praxi nostra observatas enarrabimus, partim ut creduli hanc malam consuetudinem desuescere adsuescant, partim ne medicæ facultatis practici insolite decumbentes

bentes tam facile deſerant, ſed attentius omnes circumſtantias perpendentes eorem curam aggrediantur.

Anno 1657. Ultrajecti vidi puellam octo annorum, quæ aliquot annos valetudinaria tandem incidit in atrocem ventris dolorem, in tempore adeo increſcens, ut ſingulis diebus circa quartam, & noctibus circa primam, vel paulo citius aut ſerius ratione tardioris vel tempeſtivioris prandii vel cænæ, tam diris & vehementibus torqueretur doloribus, qui teneræ hinc puellæ tam deplorandas convulſiones, tam admirandas corporis pariebant flexuras, ut quandoque vehementia doloris irritata ſaltu ſe ad altitudinem ad 4. aut 5. pedum elevaret, qui hora una aut altera elapſa adeo mitigabantur, ut nullum omnino veſtigium relinquerent, quamvis corpus indies macilentia conſumeretur; hæc periodica doloris reverſio tam certis horis ſine præviis ſignis incantamenti arguebat ſuſpicionem, præcipue cum ille nullis cederet remediis, ſed Anatomia poſt mortem contrarium edocuit, nam ſecto cadavere invenimus omnes ferme Meſenterii glandulas craſſo & caſei inſtar coagulato, ſucco obſtructas, ut non daretur liber chylo poſt ventriculi digeſtionem per vaſa lactea, dictas glandulas perreptantia, tranſitus, ſed continua per periſtalticum inteſtinorum motum propulſione circa horam diſtributionis chyli

violenter protruderetur, quæ violenta protrusio circa ſingulas chyli diſtribuendi horas hujus periodici doloris cauſa fuit.

Anno 1668 in ædibus paſtoris Eccleſiæ Romano-Catholicæ, quæ Veſopii colligitur, virginem audivimus latrantem, aliorumque animalium ſonos confuſe æmulantem, ad quam ingratam cantilenam ipſa ſibi præſens ſingulis diebus bis terve invita rapiebatur, hanc vero rariorem cantricem Paſtor in mei gratiam advocaverat, non ut demulceret aures, ſed ut ipſa noſtro ſubſidio, ſi poſſet, illo inſolito liberaretur cantandi modo, de cujus cauſa nobis in menſa oriebatur diſcordia, nam ille arti diabolicæ attribuebat, ego vero naturali cauſæ, ut me ad ſuas traheret partes, integram narrabat hiſtoriam, ejus in inquirenda cauſa diligentiam, & in ſua opinione confirmari potiſſimum aſſerebat, quia ægra ex aſperſione aquæ benedictæ inhorreſcebat, cui replicabam, in aqua benedicta duas eſſe virtutes, naturalem unam, alteram ſacramentalem, & adhuc mihi incertum eſſe, cuinam virtuti hæc inhorreſcentia foret adſcribenda, non dubitans, quin idem effectus ex ſimplici aqua ſecuturus ſit, ut periculum hujus in ſubſequenti paroxyſmo comprobavit; quo viſo paſtor mutavit ſententiam, curæque noſtræ tradidit. Notatu dignum erat in hac ægra, quod non ſolum de reliquo mediocriter valeret, ſed quod

in

in ipso paroxysmo sibi præsens ad interrogata non quidem responderet sed annueret, sic ut revera esset depravatæ loquelæ symptoma, quod ordinarie horam circiter durabat, qua elapsa subito reficiebatur ad consueta rediens munia. Sic tandem facta conclusione se ad me Amstelodamum conferendi, verum cum hoc symptoma istius & amicorum superabat captum, majorem fiduciam habebant in cura spirituali, quam medica, hinc prius adibant Religiosum, cujus preces in similibus liberandis judicabantur efficaciores, quibus frustra diu fusis pater ipsam puellam mittebat ad quendam fumivendulum Medicastrum, nomine Valentinum, qui apud plebem de ejusmodi curis bene audiebat: Ipse illa visa & audita mox audaci vocis plectro intonabat de inimicitiis ejus & rixis, quarum tamen reminisci non poterat, Valentinus vero post aliquot instantias torvo vultu & sonora voce clamitabat, tu mentiris, ante aliquot annos habuisti rixas extra portam cum vicinis, unde tibi hoc malum: puella cum multa admiratione tam audacis effati perculsa, seque reflectens, ecce ex imo memoriæ promptuario excitatur idea, per quam recordatur se ante septem vel octo annos rixatam fuisse extra civitatem cum aliis suæ ætatis puellis, ipsa quo diutius veri examinat effatum, eo in majorem rapitur admirationem, qua ratione iste homo nunquam ab ipsa cognitus,

visus, aut auditus possit habere notitiam rei tot annos præter lapsæ, plenamque cedat fidem suspicioni, quam Agyrta hic habebat ex rumore vulgi de commercio cum diabolo, unde mentis in se quasi reversæ spiritus regularem ad organa vocis recipiunt determinationem, & in instanti quasi restituta revertitur domum; tres quatuorve septimanas à paroxysmo libera vivens: ut majorem curæ famam & Mercedem reciperet, puellæ aliquas medicinas cum amuleto tradit, ea indictione, si tolleret de collo, vel aperiret, aut illud permitteret ab aliis fieri, quod multa in fausta ipsi & auferentibus evenirent, quas Medicinas, ut eo certius artem infringerent diabolicam, eodem patri benedicendas tradit, hujus ego curæ nescius sed curiositate in soliti casus raptus moram puellæ admirans sciscitor à dicto pastore causam, qui respondet mihi ipsam esse curatam, omnes que narravit circumstantias, affirmans, se nunc magis hærere in ipsius cura, quam prius in morbo, cui respondeo, curationem æque facilem intellectu ac infirmitatem, modo juxta vera naturæ principia explicentur, illaque mere dependere à subitanea spirituum determinatione ab ideis menti repente oblatis. Mense plus minusve elapso rediit idem paroxysmus sæpius cum majori vehementia, nec præservativa præstiterant id, quod Valentinus sua voce: sic ad ipsum reverti coacta recidivam pati

pati narrat, quam medicaſter eodem curandi modo, ſed fruſtra, quia tunc non poterat nugis ſuis talem in ipſa excitare admirationem, quæ ſufficeret ad irregularem ſperituum determinationem in regularem convertendam. Hæc tandem Cantrix his medicinis, etiam benedictis, diu uſa, ſed optato fruſtrata effectu poſt aliquot menſes noſtram implorat operam, referendo dictas circumſtantias ſui moram excuſat. Ego, perpenſa morbi hiſtoria, & medicamentorum ſupellectili, amuletum tollere & aperire volui, ſed renuit, & ſerio me admonet, ne ſimile quid tentarem, quia iſte Valentinus procul dubio ne chartæ appenſæ valor foret materia riſus, tantis ſubſecuturis ipſam deterruerat malis, caſu quo permitteret tolli, vel aperiri, ut nec prece nec pretio à me vel amicis induci potuerit, imo vix à Confeſſario ſponſionem faciente pro eventuris ipſi malis, cui tandem acquieſcens tradebat amuletum. Nos domum reverſi deprehendimus chartam undique interſutam, diſſolutione patienter peracta in plano chartæ inuſitatos characteres alphabeticos ſed nullo ordine totam planitiem explentes noſtris uſurpabamus anilibus. Fama hujus rei per urbem ſparſa plurimi invalidum hoc Valentini amuletum luſtrandi curioſitate capiebantur, præcipue Domini inſpectores Collegii Mediici, ad quos variæ querelæ à male ab iſpo tractatis erant delatæ,

ut

ut eo melius in ſui confutionem concurrerent, ut factum eſt, nam multa pecuniaria egregie multatus eſt, & prorſus omnis interdicta praxis. Hæc inſolita vocis humanæ modulatio Theologos, qui Philoſophiæ contemplationi extra praxim dant operam, facile in aſſenſum artis diabolicæ raperet, ſed cura poſtmodum a nobis inſtituta demonſtravit, fuiſſe caſum, ut paſtori prædixeram, mere naturalem, nam circumſtantiis rite perpenſis, præſertim horrore ex aſperſione aquarum judicavi, puellam in cerebro ex viſu vel auditu canis rabidi latrantis concepiſſe ideam, quæ idea imis memoriæ impreſſa loculis diu latuit, donec excitata & mentioblata talem in tempore peperit ſpirituum determinationem in organa vocis, quæ ſoni motum ideæ iſti ſimilem produceret. Hoc non gratis aſſeri docet exemplum ſupra allatum de infante, ex imaginatione matris, orta ex hircis ſe mutuo capite inſultantibus, capite ſuo hirci inſtar feriente qualemcumque illi dare alicujus irritationis anſam. Si hoc in alieno corpore præſtat imaginatio, quid non in proprio. Ex noſtro hoc caſu evidens eſt, ſonitus æmulantes animalium ſonos non eſſe indubitatum ſignum hominis obſeſſi, vel incantati, cum æque tales motus in homine poſſunt produci ab idea in cerebrum per organa ſenſuum ab ipſa re, cujus eſt idea, impulſa, quam ab idea per diabolum ibidem excitata,

qua

qua in re caute procedendum arbitror iſtis Theologis, qui Dæmonibus expellendis & incantamentis fugandis vacant, ne fiat Sacrorum rituum abuſus & vilipendium, ut hic paſtor, qui videns ægram æque in horreſcere ex aqua ſimplici quam benedicta abſtinuit à recitatione precum & adminiſtratione ceremoniarum, quæ ab Eccleſia prudenter adverſus diabolicas artes, ſed non naturæ opera inſtitutæ ſunt. Huic agræ juxta conceptam mali cauſam præſcripſimus præcipitationem in mari, quæ præſens eſt adverſus venenum canis rabidi remedium, eo fine, ut illa idea prorſus è memoria deleretur ex ſubitaneo ſubmerſionis periculo, quo ſolo remedio reſtituta eſt, & adhuc immunis ab illo canendi modo virit.

Similis hiſtoria æque mira ſed ſævioribus comitata ſymptomatis contingit Amſterodami anno 1675 in puella 23. circiter annorum, quæ diu valetudinaria tandem incidit in ambulatorios dolores, qui a capite ad calcem extendebantur, quadrantis vel mediæ horæ ſpatio omnia tenus currentes membra, interjecta in ſingulis mora, cum tanto ejulatu, & tam mire figuratis corporis convulſionibus, adeo terribilibus, ut duriſſimorum corda in lacrimas funderet, cum tanta vehementia, ut vim trium quatuorve virorum illuderet: hæc ægra per aliquot tempus, his dolorum per intervalla cru-

cruciata furiis, ejus pii & probi parentes omnem ſpem in Medicina ſpirituali collocantes diverſos diverſo tempore adiverunt Medicos, iisque non juvantibus ad nos tandem etiam acceſſerunt, enarrata morbi hiſtoria turbavit animum, & calamum, judicium & conſilium ſuſpendens uſquedum propriis tam inſoliti paroxyſmi ſymptomata ipſe luſtrarer oculis. Altero die me conferens ad ædes ægrotantis immediate poſt undecimam deprehendi ipſam bene ſibi adhuc præſentem & circa domeſticas curas occupatam, quæ ſuam miſeriam cum lacrymis explicabat, & ad interrogata noſtra apte reſpondens, tam diu commorabar, donec eadem viderim ſymptomata, quæ mihi narraverat, quæ tali ordine ſubſequebantur. Ante primam incipiebat angi circa præcordia, & præmonebat, me jam brevi inauditam viſurum tragædiam, anxietas ſenſim increſcens ipſam ſubito proſternebat humi ſenſu & motu deſtitutam, quæ per quadrantem eodem permanens ſtatu adeo invaluit, ut inſolitæ convulſiones, capitis colliſiones manuum & pedum vibrationes cum miſerabile lamentatione & eiulatu ſubſecutæ ſunt adeo vehementes, ut Pater cum matre aliiſque non erant ſufficientes ad illos corporis motus vi continendos: hunc generalem corporis convulſionem excipit particularis, in ſingulis fere partibus de vehementia certans, ſimulac apprehendebat caput,

put, intendebat vocem adeo lamentabilem exclamando præ dolore, ò caput ò caput, ſine ulla intermiſſione per quartam ferme quadrantis, à capite deſcendebat dolor ad cervicem, à cervice ad dorſum, à dorſo ad lumbos, à lumbis ad femora, quæ mox erecto corpore manibus comprimebat doloris, ut apparebat, ſedandi gratia, parum tunc ad ſe rediens, à femore ad genu, à genu ad tibias, ab illis ad calcem pedis, ab iſto ad majorem digitum, in quo exſpirabat, poſtquam inſingulis ferme per quartam quadrantis dolor ſuam tyrannidem exercuerat, quæ doloris ambulatio quotidie ordinate ſuum abſolvebat circulum cum maximo ejulatu, lamentabile dictu, quantis homo brevi vivens tempore ſubjiciatur miſeriis ipſa ægra laſſata poſt refectiunculam ſurgebat ſibi præſens ad ſolita munia. Huic deplorandæ tragædiæ ego aliquando lubens ipſa invita circa duodecimam quotidie inter eſſe cogebar: hic inſolitus doloris ambulatorii modus certe ſuſpendit animum à judicio, calamum a pharmaco, donec ipſam ſæpius viſitando & examinando veram judicaverim inveniſſe cauſam: filia hæc formoſa aproco derelicta varias animi ſubiit ſolicitudines, & tacito igne urentem in præcordiis aluit flammam, unde primo levia, poſt graviora ſubſecuta ſunt ſymptomata, per quæ amiſſa pulchritudinis forma & à firmæ valetudinis

tudinis ſtatu deturbata ſæpe anteacti amoris perfidique proci recordata fuit, maluit procul dubio omne genus ſubire tormenti, quam tam cæco igne uri, ac ipſi proco ſæpius in vindictam perfidiæ carnificinæ dolores apprecata fuit, ex qua continua meditatione cerebro talem impreſſit ideam, quæ poſtea uterinis excitata doloribus, mentique oblata talem produxit ſpirituum determinationem in ſingulas partes, unde dolor torturæ ſimilis in membris originem traxit. Hiſce conſideratis judicabam mali fomitem in utero hærere, qui cum præſcriptis a Medico pharmacis non cederet, veroſimile erat, magnam ſeminis corrupti copiam pravorumque humorum ſaburram in matrice retineri concluſam, quam peſſariis, & manuali operatione extrahendam judicabam, quia duro nodo durus adhibendus eſt cuneus, non eſt ſapientis medici, ut cecinit ſophocles, uti cantionibus in ulcere, quod ferrina deſiderat, quæ cura ab ægra & parentibus admiſſa felicem habuit eventum, nam uteri orificio parum dilatato magna putridæ & fætentis materiæ copia expulſa eſt, uteroque poſtea injectionibus detergentibus & mundificantibus expurgato ab illa imani corporis carnificina hactenus immunis vivit.

Similis hiſtoria occurrit nobis Duſſeldorffii 1679. in ſutore, qui continuo vomitu conſumptus, & per triennium ſub cura Medicorum

corum ſereniſſimi Ducis Neoburgici magis extenuatus pro incantato habitus fuit, per tot annos fruſtra adhibita tam cura ſpirituali, quam corporali, meum petiit conſilium, & explorata morbi cauſa deprehendimus magnam duritiem circa orificium ſtomachi ex collectis humoribus concretam, quæ nec purgantibus aut vomitoriis divelli poterat, ventoſam magnam applicare juſſimus, cujus beneficio materia congeſta diſſolvebatur, ejuſque uſu bis terve repetito ſe ſponte cum magno fætore excludebat, à quo tempore reſtitutus etiamnum incolumis vivit, ſi vis exemplum ſeminum excretorum per alvum & urinam in filia devota, aliquot librarum quantitate, quam nunquam aſſumpſerat, adi noſtrum ſcultetum Anno 1673. latine & belgice recuſum, ſic carbonum per urinas excretorum, clavim noſtram utriuſque Philoſophiæ Anno 1674. editam; ſileo ſiniſtras mulierum technas, quas in earum confuſionem deteximus, quibus prodigioſæ videri voluerunt, ut a literatis in pretio haberentur: non ne hæc exempla ſatis docent, nos non ſolum eſſe matris ignoratiæ filios, ſed & reos ingratitudinis erga Deum, quod fundamus preces, & pia faciamus vota, ut Deus infringat poteſtatem diaboli, quam nullam habere docent Sancti Patres, *mala voluntas eſt in diabolo, poteſtas vero in Deo*, ait melliflus *Bernardus*, præſtat ergo, noſtras ora-

tiones dirigere, ut Deus humanum illuminet intellectum, quo Naturæ creatæ vires penitius introſpiciat, ut homo in ſuis etiam deliciis miſer citius & tutius à corporis miſeriis liberetur; qua de re cum cogito, ante oculos mihi

Pygmæus parvus currit bellator in armis.

Pace plurimorum dixerim, diabolum excepta motus ſui velocitate ſtupidiſſimum phyſicum, & ſtolidiſſimum politicum, nam in utroque ſcientiarum genere ſuperatur ab homine, qui in naturalibus calorem gallinæ glocientis in excludendo pullo in fornace, æſtivum ſolis æſtum ad maturandas fruges hyeme in hypocauſto æmulat ſi diabolus homine foret peritior rerum naturalium, ut raperet ſpectatores in admirationem, deberet ſagarum calorem ita temperare, ut ſùb axillis, ut pueri ova bombycum, excluderent pullos, in horto in hieme, ubi habitant germinarent olera æque læte ac in æſtate, talis quippe induſtriæ exemplum in applicando activa paſſivis diabolum unquam ſuppeditaſſe, nuſquam memoriæ proditum eſt, nam quod è regionibus calidis rariores iſtius patriæ fructus ad regiones frigidas adferat, vel è contra, eſt tantum mera corporum de loco in locum tranſlatio, ſed non nova iſtorum fructuum productio, ut illa etiam exactio, qua ſagæ dicuntur ſpectatoribus exhibere varia animalia, quæ immediate non

non conſpiciebantur, aliave id generis corpora, quæ in aliorum locum ſubſtituuntur, nam qui prævalet curſu, non neceſſario prævalet ingenio; nam licet natura angelica ſimpliciori actu ſuam eliciat ſcientiam de rebus intelligibilibus, quæ intra ſcientiæ ſuæ ſphæram continentur, hinc non ſequitur, quod perfectiorem habeat notitiam ſenſibilium, quæ naturam angelicam non tangunt, nam licet Angeli poſſint imprimere corporibus motum; non equidem vice verſa ſubſtantiæ corporeæ poſſunt ſuos motus communicare Angelis, quia natura angelica non eſt cum tali dependentia cum natura corporea creata, ac mens humana, quia Deus voluit, ut per impreſſos naturæ corporeæ motus anima noſtra deveniret in cognitionem ſui creatoris, in cujus notitiam longe ſimpliciori & excellentiori modo fertur Natura Angelica, nam viſione ſuâ intellectuali in ipſa luce veritatis requieſcit, quæ veritas incommutabilis per ſeipſam ineffabiliter loquitur angelis, nam corporum ſimulachris ſpeculando non involvi, angelicæ virtutis eſt, ut bene notat *D. Bernardus Serm.* 52. *in Cant.* quæ ſupra naturæ corporeæ prrfectiones longe elevata altioris conditionis eſt, quam ut ad particulares ſingulorum corporum notitias

deſcendat; in qua veritate cum non ſteterunt angeli mali, totamvim ſuam in mendaciis conſtituunt in quibus comminiſcendis callidiſſimus eſt ad piiſſimos etiam ſub falſa boni ſpecie à recta intentione Deo ſerviendi avertendos; unde tamen non ſequitur dæmonem prævalere prudentia politica, quoniam teſte Salomone Sap. 1.4. *in malevolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*, multo minus in naturam Angelicam fædioris delicti macula conſpurcatam, quæ non ex infirmitate Naturæ, ſed ex mera cecidit arrogantia; me hercule ſi calleret prudentiam ad ſui gloriam promovendam, deberet diſcipulos, ſaltem illos, qui abjurato Deo ipſi dixere ſacramentum, majoribus condecorare præmiis, ut in hac in majori forent pretio & fortuna, nam benefaciendo alliciuntur homines, ſi regna mundi, quæ obtulit ſervatori, ſi poſſet, daret, magis numeroſam & ſelectam juventutem colligeret in ſchola, quam omnes Profeſſores in ſuis Univerſitatibus, ſed qua ſuos non tantum reddit toti mundo exoſos, ſed etiam iro pauperiores, recta ratione utentes talem deſerunt Dominum, qui milites in hac vita facit miſeros, & in futura multo miſeriores, nemo enim ſani cerebri militat ſine ſtipendio.

His

His obiter præmiſſis antequam redeamus ad corporalem dæmonis cum ſuccuba congreſſum, præmittenda duximus verba *D. Bardi Serm. 20. in Cant. Sapientia eſt Deus, & vult ſe amari non ſolum dulciter ſed & Sapienter, unde Apoſtolus rationale*, inquit, obſequium veſtrum, *alioquin facillime zelo tuo ſpiritus illudet erroris, ſi ſcientiam negligas, ut recte* annotat Serophicus Doctor *Bonaventura de proceſſu Religionis tr. 7. cap. 18. Quod quidam decepti a ſeductoriis ſpiritibus vel propriis falſis opinionibus putant ſibi apparere Chriſtum vel ejus glorioſam Genitricem, & non ſolum amplexibus & oſculis, ſed etiam aliis indecentioribus geſtibus & actibus ab eis demulcerunt ſicut ſpiritus ipſorum interius ab ipſis conſoletur ſpiritualiter, ita & caro exterius ſibi congruo oblectationis ſenſu conſoletur, quod non ſolum eſt falſum, ſed etiam blaſphemia gravis eſſe, comprobatur*, qua propter non ſine pregnanti ratione admonent ſancti Patres, magnam adhibendam eſſe prudentiæ cautelam in formando de apparitionibus judicio, nam veræ angelorum extra phantaſma apparitiones æque adſtantium tangunt oculos, ac illius, ad quem principaliter dirigitur; ſic Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, non ſolum ab illo ſed ab univerſa ejus familia viſi ſunt, & Raphael Tobiæ comes in longo itinere omnibus indifferenter aſſpectabilis erat; nam Angeli corpus aſſumptum uni oſtendere,

aliis celare virtute propria nequeunt, ſed divina ad hoc requiritur virtus, & ſoli hoc prorium corpori glorioſo, ut ſe manifeſtet uni, ſubtracta reliquis viſione ſua; dum ergo non ſolum unanimis Patrum & Doctorum Eccleſia ſit ſententia, ſed etiam evidens ratio nos doceat, nullam Dæmoni a Deo potentiam conferri ad ea, quæ facultatem Naturæ ſuperant; manifeſte ſequitur, Dæmonem non poſſe veros copulæ motus æmulari, multo minus omnia ejus complere requiſita, quia evidens eſt in natura quidem dari virtutem, quæ cadaver de loco in locum transferat, ſed non talem, quæ in pedibus ejusmodi concitet motum, quo cadaver ambulet, in brachiis, quo gradietur in toto corpore, quo amplectatur uxorem, non ſolum ut natura hos motus non vere elicere in cadavere ſed ne quidem illos imitari valeat; quippe illi motus unice dependent ab ipſo vitæ principio, quod ſemel ablatum natura nec reſtituere nec analogum ſubſtituere poteſt, & conſequenter evidens eſt, quod tales motus in cadavere excitare, tum dæmonis potentiam ſuperet. Ex quibus manifeſtum evadit jejunis iſtis Naturæ ſpeculatoribus, quod in microcoſmo dentur motus, ad quos eliciendos non ſufficit quilibet impetus a qualibet cauſa impreſſus, nam certos motus Auctor Naturæ certis alligavit cauſis, ſine quibus nullus, niſi a ſolo Deo, datur in illis motus,

evidens

evidens enim est, nullos posse fieri musculorum motus nisi influxu spirituum animalium, qui cum in cadavere non dentur, musculi ejus à nemine, nisi à Deo, moveri possint, nam diabolus, cum tales spiritus non habeat, nec aliunde sibi comparare, multo minus creare valeat, ad tales motus procurandos est incapax; quia Dæmon non potest tollere illum ordinem, juxta quem musculorum motus arbitrarios Deus fieri & imperio mentis subesse voluit; nam in applicatione activorum passivis, nulla debet fieri immutatio sed solummodo eorundem ab alia causa externa quam ordinaria conjunctio; & quidem talis, ut activa applicentur passivis viribus integris, iisdemque quoad locum, tempus, situm & ordinem circumstantiis, si effectus sperandus sit: Has conditiones diabolum non posse in auferendo semine exiturientie conservare, patebit ex sequentibus, nam semen extra amoris palæstram effusum non potest esse, vel manere fœcundum.

Semen fœcundum sua natura tale esse debet, ut ex eo primo oriantur illa, quæ secundum naturam constituuntur, quæ sine motu perfici nequeunt, nam seminis virtus omnium consensu consistit in movendo, adeo ut ipse *Aristoteles doceat, semen eodem moveri motu, quo augetur corpus, eodemque illo motu, quo ipsum movetur, movere excrementum fœminæ, & addit, sed verius dixeris per motum eorum,*

qui artis operatio eſt, quæ verba ſatis indicant, illum motum, cum nihil ſe ipſum moveat, ab alio imprimendum eſſe, quod claris idem teſtatur verbis lib. 2. degen: *Sed hujus nulla pars cauſa eſt generationis, ſed quod primum extrinſecus movit, id cauſa eſt, nil enim ſe ipſum generat.* Adeo ut ipſa ſeminis fæcunditas non ſolum petenda ſit ab externa ejus figura, vel forma, colore, odore, vel ſubſtantiæ conſiſtentia, nec etiam a compendioſa partium in minimis particulis deſcriptione (nam ſeminaria vis tota eſt in qualibet ſeminis particula, in quot enim particulas ſemen dividitur, totidem oriuntur animalia, quod maxime in piſcium apparet oris, quapropter *Albert. Magn. de Animal. lib.* 16. *tr.* 1. *cap.* 9. bene advertit, quanto ampullæ ſint minores, tanto eſt incluſus ſpiritus ſubtilior, & ſubſtantia nobilior) ſed præcipua ſeminis fæcunditas dependet a motu minimis ejus particulis in actu amoris impreſſo, qui motus mediantibus amantium ſpiritibus ab idea generationis excitatis ſemini communicatur, cujus efficacia obſcurus minimarum particularum in ſemine præexiſtens motus reviviſcit, & determinatur ad inchoandum illum motum, quo ſemen reſolvitur in talia, qualia ſub confuſo vinculo continebat; ſic vegetabilium ſemina terræ commiſſa nunquam in Vaſto thalamo germinationis molientur motum, niſi primum connubio quaſi cæleſti

lesti ridentis Jovis radii germinosis illorum particulis impressi sint, unanimis enim Medicorum pariter ac Philosophantium est sententia, spiritus illos geniales, motumque caloris vitalis, qui in conjunctione maris & fœminæ affluunt præcipuam essentialem seminis fœcundi partem constituere, quod comprobatur experientia, qua observamus, neonymphas juvenculas raro primis mensibus, rarius primis septimanis, rarissime primis noctibus concipere, quia juvenes sponsi semine turgidi primo insultu mox effundunt genituram, antequam sufficiens sit spirituum genialium transfusio, & requisitus sit impressus motus, unde apud fœminas in proverbium abiit, sponsas virgines stupidas generare proles, sed multo certius concipiunt ex viro provectioris ætatis, hinc fœminæ solent illam copulam similitudine commendare, quod ex seniore ariete & juniore ovi quotannis certa nascatur agnus; quapropter mariti, qui rarius descendunt ad luctam amoris, certius uxores implent, nam semen teste *Galeno* essentiam tempore coitus accipit, quem, & *Aristotelem* secutus *Ioannes Granim. lib. de Animal. cap.* 18 docet, *semen sanguini fieri potentia simile, sed à motu qui tempore coitus fit.* Ex quibus evidens est, semen pollutione spontanea vel arbitraria effusum illa spirituum transfusione, eorumque carere motu, quo mediante prima corporis humani fabrica inchoanda est,

nam ut fiat conceptio, non ſufficit quod ſpiritus in ſemine utriuſque ſexus præexiſtentes pruriginoſo veneris calore exaltentur, qui in cerebro libidinis generant conceptum, ſed neceſſario quidam ſpititus geniales in palæſtra voluptatis præexiſtentibus debent coadiuvari, per quos ſubtilior ſeminis ſubſtantia æſtu amoris in actu copulæ fuſa, & ad ſtatum volatilitatis redacta talem acquirit determinationem ab imaginatione amantium & copulantium impreſſam, ut fœcundæ ſeminis particulæ inceptum promoveant motum ad novam prolem producendam, non ſpirituoſa calida & vitalis illa ſubſtantia in aphrodiſio ſacro ſemini impreſſa, tranſfuſa & unita, primam molitur in genitura concepta actionem, per quam fixæ ſeminis particulæ, ſanguinis continentes ideam, in ipſum ſanguinem refunduntur, quæ tamdiu ſub ſeminis forma ſopitæ, & jam ad priſtinum ſtatum reductæ primum vitæ exhibent motum, quo mediante cordis & reliquarum partium rudimenta alterantur, & deſcribuntur, quam ſubſtantiam, calorem & motum, ſive illam vim plaſticam, ſive virtutem ſeminalem, ſive ſpiritus geniales, ſive architectrices nomines, dæmon ſemini præciſo dare nequit, hinc nullum fide dignum exemplum adferri poteſt, ubi Dæmon explerit omnia, quæ in vera maris & fœminæ copula requiruntur, nam Hiſtorias de *Merlino* in Anglia, de *hunnis* in pannonia, de

Cor-

Corcotone in Hiſpaniola, qui mulieribus ſe miſcere feruntur, & ejuſmodi narrationes inter ea numeranda cenſeo, quæ niminæ hominum credulitati originem debent.

Si quis pervicacioris genii velit magis ridicule, quam philoſophice ſupponere cauſam, quo diabolus marito actu conjugem complectenti effuſum ſemen ſurripiat, dabimus, ſed nihil evincit, nam recepta eſt Medicorum ac Philoſophorum ſententia, quod vis ſeminis maſculini plaſtica in ipſo aëris externi contactu effæta fiat, imo *Ariſtoteles* in probl. docet, ſteritatis in viris ob brevitatem virgæ cauſam eſſe, quod nimia fiat ſpirituum diſſipatio in ſemine ob diuturniorum tranſitus moram antequam uteri thalamum ingrediatur, quid ergo ſperandum erit de ſemine per diabolum aliunde petito, nam ille vir, cujus exituriens ſurripit ſemen, ſi non in diverſis ædibus, ſaltem erit in diſtinctis cubiculis, ac illa ſaga, quam comprimere intendit dæmon, quapropter proculdubio fœcunda ejuſmodi ſeminis vis prorſus exſtincta erit, quod tantam aëris ſphæram tranſire debet, antequam in uterinos ſagarum pellatur receſſus, nam ſeminis natura non eſt compatibilis ſine virium jactura cum aere in primis actionis ſuæ exordiis, quod norunt ruſtici, qui ſemina terra tegunt, ne patulo expoſita aëri germinationis ſpem exuant, hortulani ſurculos initos craſſo obducunt limo, aliiſve gummis permixto

mixto, ne ab aëre externo frutificandi jactu-
ram patiantur, quia Natura in myſterio genera-
tionis illo tempore, quo ipſa incumbit novæ
producendo individuo, aëris præſentiam intra
activitatis ſphæram non admittit, & hæc pro-
cul dubio eſt cauſa, quare in generationis actu
ante alias partes conſpiciantur membranæ, qui-
bus virtus ſeminalis propriis concluſa laribus ſe
actione ſua prodit in conceptam materiam, ne
ab aëre externo in tenerrima ſubtilium vitæ ſta-
minum productione offendatur, nam aër tum
ſubtilitate ſua, tum particularum adhuc ſubti-
liorum in ipſo fluctantium quo ſuos ſubſtantia-
rum penetrans poros, continuo novi aëris ac-
ceſſu alterationem neceſſario in tam tenera &
ſpongioſa induceret ſubſtantia, quæ ſolidiſſima
corporum compages ſine ſenſu diſſolvit, non
enim hoc ſolo calore, frigore, aliave qualitate
fieri arbitrandum eſt, ſed multa concurrunt
quæ ſemini tollunt efficaciam, quando è pro-
priis viventium ductibus in aërem, erumpit
primo dum ejaculatur ſemen, ejus ſubſtantia ex
anguſtiis exploſa neceſſario undiquaque diffun-
ditur, in qua diffuſionis figura in aëre deſcript
fæcundi ſpiritus uniti diſperguntur, qui pri-
mam & primariam, in motu generationis confe-
runt actionem, qui jam partim diſſipati, partim
diſgregati, non de novo, in aëre congregantur
ut recollecti uniantur cum ſpiritibus ſeminis fæ-
minini, ut generationis fiat exordium. Tertio in
hac ſeminis diffuſione neceſſario pori & interſti-
tia magis magiſque dilatantur, per quos non ſol-

circumstans aër cum admixtis omnis generis particulis replet, speı matis alterando substantiam, sed etiam necessario partes ideæ humani corporis ruditer sine confusione in semine descriptæ a suo ordine & situ turbantur, quæ corporis idea extra corpus in aëre confusa & dissipata irreparabilis est, nec ulla spes conceptionis concipienda est, nam sicuti solis radii in speculo ustorio collecti mox aliam acquirunt motus determinationem, si transeant aquas, quo minus actionem flammæ in corpore objecto perficere valeant, ad quam diriguntur, ita motus semini à corpore vivo impressus mox aliam suscipit determinationis rationem, si per liberum trajiciatur aërem, quæ ad primum vitæ motum inchoandum inæpta est, quid notius? quam metalla fusa, simulac extra præscriptos fluunt canales, mox in motu & in suis particulis adeo alterari, ut ad formam, quam intendit artifex, non valeant. (Quis mirabitur, seminalem corporis humani substantiam igne amoris fusam mox in aëre externo ineptam reddi, quo minus artificiosissima corporis humani fabrica oriatur cujus veritatem demonstrat frigiditatis sensus quam in congressu cum diabolo sagæ percipere fatentur, nam si seminari virtutum utriusque sexus non fiat immediatus sine aëre intermedio contactus, nulla unquam fiet conceptio, quæ constans Naturæ lex est, quæ nec à Natura, nec à diabolo ullo immutari potest modo; nam si naturæ

turæ viribus in hoc ordine poſſibilis foret diſpenſatio, non video rationem, quare nunquam à Regibus ſterilibus practicatum ſit, quod ſemen fratris, aliuſque conſanguinei fæcundi ope ſiphonis in Reginæ uterum infuderint, cum in Veteri Teſtamento lege cautum erat, ut frater fratris mortui ſine prolibus ſemen in derelicta uxore corrigeret; nam certe qui non ſolvit debitum conjugale, etiam vivus civiliter mortuus habendus eſt, dum ergo hunc naturæ in humana geneſi turbare ordinem, Naturæ ſuperat vires, fruſtra hoc à dæmone exſpectamus, cum diabolus æque naturæ legibus ac homo adſtrictus ſit.

Non inſolitum tam ſubitaneas quarundam rerum fieri mutationes ex diverſitate medii, vel loci; ſic & fortiſſima vis pulveris pyrii in ipſo aquæ extinguitur contactu; corallia profundo maris extracta mox in aëre indurantur, vitraria ſubſtantia igne fuſa ilico in aëre ad formarum ſuſceptionem redditur incapax, ita ſanguis è corpore vivo extractus mox vitalem deponit virtutem, ut infelix docuit transfuſionis ſanguinis eventus, nec eandem recuperat, ne arte quidem diabolica, niſi de novo viſcerum coctiones ſubeat: innumera ejuſmodi ad ferri poſſent in naturæ & artis theatro exempla, quæ hactenus tetigiſſe potuis quam tractaſſe videmur, ne nimia prolixitate detineamus lectorem, quibus tamen utcunque viam ſtravimus, qua felicius

noſtra

noſtra opinio procederet; nam certo certius eſt quod activa ſive applicentur paſſivis ab homine, ſive a Dæmone, applicanda ſunt viribus integris juxta naturæ leges, quam iiſdem poſitis circumſtantiis idem ſemper ſubſequitur effectus, cujus contrarium experimur in diabolo per ſagas, quæ non ſemper eundem, licet intendant, effectum procurant, quæ effectuum diverſitas minus religioſe petitur a divina concurſus ſuſpenſione, ac ſi Deus diabolum tanti faceret, ut in ejus gratiam ordinarium Naturæ curſum ſiſteret, ſed verius procedit ab ignorantia diaboli, cui non omnes omnino individuorum circumſtantiæ æque perſpectæ ſunt, adeo ut multi ejus effectus potius cæco caſui, quam ejus induſtriæ adtribuendi ſint, verb. grat. una ſaga decem & plures infantes eadem nocendi intentione viſitat eoſque eodem tractat modo, vix tamen unus, aut alter damnum ſentit, evidens eſt, quod non in omnibus talis fuerit humorum ſpirituumque temperies, ut ab eadem deformis triſtiſve ſagæ vultus imagine infantium ſenſibus oblata inordinata humorum producatur commotio, per quam ad debiliorem decumbunt partem, vel latens in imis corporis receſſibus morbi fomes ſuſcitatur; eadem eſt ratio de philtris, quæ rariſſime ſortiuntur effectum niſi in procis & amaſiis, quorum ſpiritus prius ex concepta formæ elegantia, vel divitiarum commodo, vel voluptatis pruritu in

tan-

tantum determina i ſunt, ut vel minima ſagarum inductione per vocem, amuletum, vel pharmacum quaſi thyrſo agitati in furorem rapiantur, nam quod miſeri fieri volunt, facile credunt, qualis amor non philtris, ſed prævias ſpirituum determinationi cum imbecillitate judicii eſt attribuendus, è contrario oppoſitam ſpirituum determinationem ſive amoris averſionem inducit ut obſcenus aliquis amaſiæ geſtus, impurus actus, & morum quædam ametria, qua perdite amantium ardor ſubito exſtinguatur; *Suidas* narrat *Hypatiam* Alexandrinam, cum importunam amantis procationem non poſſet compeſcere, conſilio panniculos ſuos flore menſtruo commaculatos objeciſſe, & in hæc erupuiſſe verba, *hoc eſt*, adoleſcens, *quod amas*, *nihil autem pulchri*: Ita vir quidam delicatulus Romæ ingreſſus ſcorti formoſi domum, quod depiribat, cum petiiſſet ab ancillis hæram, dicerentque alvi exonerandi gratia in balneo contineri, ad frugem rediit, exuitque nouſeabundus amorem.

Poſtremo, ſi dæmon incubus præſtare poſſit officium viri, nulla apparet ratio, quare diabolus non valeat ſubire munus puerperæ, non enim plura requiruntur impoſſibilia ad nutritionem fætus in dæmone ſuccuba, quam ad generationem per incubum, nam æque facile menſtruum præciſum quam ſemen transferre poteſt, qualem tamen prolem veram eſſe omnes

Theo-

Theologi negant, ſi tamen utriuſque requiſita examinentur ad lancem rationis, qui vel à limine Anatomiam ſalutarit, deprehendet longe faciliorem in Natura caſum, quo menſtrum ſine jactura virium transferatur in uterum cadaveris aſſumpti, pro lætu ibidem ex efficaci maris ſemine concepto, quam quod diabolus ſemen fœcundum ſine virtutis diſpendio transfundat in matricem, cum evidentior ad ipſam detur aditus; & ſi quam virium jacturam fecerit flos menſtruus, in vaſis umbilicalibus & corculo embryonis nova elaboratione damnum illud reparari poteſt, quapropter Theologis Galeni verba penſitanda afferimus lib. de ſem. 552. *verum etiam ſi reprehendar ob id, confiteor tamen vitium, quo per omnem vitam inquitatus fui, quod nulli habuerim fidem eorum, qui talia narrant, priuſquam etiam ipſe eſſem expertus ea, quæ ſaltem poſſibile erat in experientiam venire: ita neque hoc de hoc his, qui ſe vidiſſe, quæ ſæpe facta ſunt narrant, crediturus eram ſolis, etiam ſi maxime concordes in hoc aſſerendo viderem; ſed conſueta incredulitate uſus, duplex veri experimentum eſt*; minoris enim momenti eſt, vitæ acceptæ ſufficiens procurare pabulum quam producere ipſum vitæ fomitem; quod nulli Theologorum negare poſſint, qui aliquatenus in Philoſophicis verſati ſunt, nam ex eorum monumentis conſtat, animam

vegetativam quandoque diu poſt mortem in corpore ſuperſtitem Naturæ viribus manſiſſe: verum cum nullum talis exempli exſtet veſtigium, merito hæc opinio à Theologis rejicitur, ſed potiori jure deneganda fides iſtis fœminis, quæ ſe ex diabolo concepiſſe affirmant; nam ſi tali potentia gauderet dæmon, ſine dubio hujus vel illius daretur exemplum, nam infante ſine Patre & matre nato homines a veri Numinis cultu averteret, eumque pro vero Meſſia credulo mundo obtruderet.

Quod in hac materia, diſcutienda, quæ facile poterit offendere aures ſcrupuloſe caſtas; prolixior fuerim, prudentiores veniam dabunt, qui norunt tales Theologos & juridicos æque ac Medicos Philoſophos ſuper hac quæſtione ſuas formaſſe ſententias, quorum præjudicia magis fundantur auctoritate, quam ratione, idcirco neceſſarium fuit, altius cujuſque facultatis argumenta repetere, tunc enim cenſetur probatio legitima, quando ſedulum de re controverſa examen ſerio inſtituitur, præcipue in caſibus, quorum veritas dependet ab ore mulierum, quæ labiis plerumque monſtra majora veris pariunt, quia certum eſt ex naturali earum conſtitutione, quod ex vehementia affectionum & cogitationum putent ſe videre & facere quæ cupiunt & quod ab animi perturbationibus naſcitur, quæ in ipſis accerrimæ ſunt, à parte rei extra phantaſiam

orir

oriri credunt, quod maxime attendendum in narratione rerum, quæ Naturæ & diaboli superant vires, quia Natura se ipsam non excedit nec à Dæmone exceditur, quod unanimi Doctorum constat assensu, quapropter infæcundum semen, fecundum reddere nequit, nec ullam in applicando inducere mutationem, cum præcipua vis prolifica seminis in ipsa applicatione infundatur, nam æque miraculosum est immutare Naturæ ordinem, quam novas producere substantias, sic curatio febris tertianæ, alteriusve non est miraculosa, sed modus, quo in umbra *Sancti Petri* curabantur, est miraculosus, cum igitur sufficienter ex antedictis constet, diabolum ne minimum quidem posse facere miraculum, imo non absolute mirum, evidens est non modo non posse sibi aliunde fæcundum comparare semen, sed non posse ad actum vere Venereum uti cadavere assumpto, vel corpore phantastico, sed indigere vivo sui mancipio si omnia explere velit, quæ in maris & fæminæ copula requiruntur, imprimendo sagæ tales formæ species, ub qua cum eadem conversari solet: quapropter concludimus cum Salomone Cap. 8. *& hoc ipsum Sapientia est scire, cujus hoc lonum sit, multiplicare gentem humanam*, am communis & recepta opinio sternit viam d præcipua Christianismi mysteria evertenda.

CONCLUSIO Diabolus vel dæmon incubus,

cubus, non poteſt virtute ſibi congenita, ex ſemine præciſo in virgine vel vidua ſuccuba, ſuſcitare prolem vel molam.

CAPUT XXIII.

An animalia Bruta etiam molis ſint obnoxia.

COmmuniter docent inter animalia ſolas mulieres parere molas, quia illæ præ reliquis aliorum animantium fœminis abundant menſtruis, quæ bruta parcius patiuntur, verum cum in antedictis probavimus; molas non oriri ex multitudine menſium, qui ſemen paucum & morboſum obruunt; nec ex ſolo ſpermate muliebri, quia fœminæ ſemen, quod ſe ſola ſponte vel artificioſa affrictione excludunt, in interiorem uteri thalamum non ingreditur, ut & ipſum menſtruum, quæ per ductuum & vaſorum oſcula ſecus convexam colli uterini ſuperficiem foras effluunt; quapropter evidens eſt quod communis Auctorum in ea re opinio erroneo ſit ſuperſtructa fundamento, & nos judicamus bruta animalia æque ac generis humani fœminas molis eſſe obnoxia, ſed quod ejuſmodi inſolitos partus edant rariſſime, cenſemus fieri ex ſequentibus cauſis; primo quia parciores ſunt in congreſſu, nam pleraque animalia certis tantum coëunt temporibus, & belluæ

ſimu

ſimulac ſe ſentiunt impletas ab ulteriore Venere abſtinent, ubi fœminæ inordinate per totum annum, quocunque tempore, etiam ipſis ingravidictionis menſibus ſæpe libidinoſius ſe in amoris palæſtra exerceant, cum itaque experientia teſtatur, quod molæ frequentius inveniantur apud prægnantes ſignum eſt, quod utplurimum ſuperfætatio occaſionem & originem illarum præbeat, quæ rariſſime vel nunquam in brutis obſervata fuit; inde tamen non concluditur, quod nunquam molas peperint, nam hoc imputandum eſt miſeriori brutorum conditioni, quod illorum morbi non ita attendantur; pariunt tamen monſtra & ſuos patiuntur abortus, nam ſi fides lanionibus habenda ſit, ſæpe admiranda in vaccarum & ovium uteris inveniuntur; ſed cum animalium mares rarius fœminas comprimant, ſufficiens in ipſis colligitur ſeminis copia, cum vix ullæ particulæ deeſſe poſſunt, ſed cum prima partium delineamenta æque in brutis ac in homine a corde deſcribantur, & illa primo oriantur ex ſemine utriuſque ſexus, nullam video rationem, quare non tam bene in genitura animalium poſſit eſſe defectus particularum, quæ ad cordis requirunrur ſtructuram, quam in humana, vel cordis motus poſſet impediri, quo minus partes recte delineatæ non debito ordine juſtoque ſitu extendantur; quapropter noſtra eſt.

CONCLUSIO. Animalium brutorum

fœmellas æque molis esse obnoxias, ac mulieres, sed multo rarius.

CAPUT XXIV.

An animalia bruta molis æque obnoxia sint, ac hominum sexus fœmininus.

ANtequam ad hujus quæstionis resolutionem progrediamur, majorem lucem dictis nostris afferendi gratia quædam prælibabimus ab *Observ.* CLXXXV. *Decad.* 2. Anni secundi per *Jacobum Harderum ad ill. S. R. I. Acad. Nat. Cur. Herculem* transmissam; in qua dictæ quæstionis causas ab *Aristotele* enumeratas examinando alias substituit; sed dolendum, quod quædam Academiæ Nat. Curiosorum membra non recta utantur methodo ad veritatem inquirendam, & quod Christianæ charitatis erga proximum immemores ab Ethnicis hac virtute superentur, qui cum *Pindaro* semper de mortuis bene loquuntur, nam condonandum foret Aristoteli, quod in tam tenera scientiarum ætate non omnium rerum veritatem assequi, vel accuratam explicationem tradere potuerit attamen primus glaciem fregit, & in multis nobis præluxit, & sanior modernorum philosophandi methodus satis manifeste in ipsius horis exprimitur, ut patet ex nostra utriusque Philosophiæ clavi, adeoque non ipsi impu-

imputandum, quod ejus commentatores magis in nominalibus quam realibus per multa sæcula, occupati fuerint, sed si illos ad rectam veritatis viam, quæ sine ullis passionibus tentanda est, reducere conemur, nullis invectivis utendum est, sed ejus verba evidentiori sensu illustranda sunt, ut illi, qui prorsus terminis scholasticis immersi sunt, paulatim assuescant addiscere leges mathematicas & mechanicas magno ad res Physicas explicandas esse usui, nam qui passionibus suis nimium indulgent, raro felicius sese omnibus difficultatibus extricant, ut ex subnexis circa dictam observationem considerationibus manifestum fiet. Primo mirum videtur, quare textum Græcum *Aristotelis* sine Latina interpretatione observationi suæ inseri curaverit, cum proculdubio noverit æque ac ego hoc sæculo viros literatos non tantopere Græcis delectari, ut sine interprete sensum tam cito percipiant; secundo quare multa & præcipua in Græco textu omiserit, quæ sibi examinanda proposuit; nam in medio hæc verba omisit, quæ in septima linea post vocem μύλην inseranda sunt. ἔπι δε καὶ συγκαταγηράσκει καὶ συναποθνήσκει: τὰ δὲ θύραζε ἐξιόντα τῶν τοιῶτων, γίγνεται σκληρὰ οὕτως, ὥστε μολὶς διακοπῆεσθαι καὶ σιδήρω. *Quin & consenescit & commoritur hoc vitium. Quæ autem prodierit, adeo obdurescit, ut vix ferro transadigi possit.* Et in fine addendæ sunt causæ, quas *Aristote-*

ſtoteles enumerat, quare alia animalia huic vitio non ita obnoxia ſint, in linea undecima poſt vocem πάραςα διά καὶ συγματαγηράσκει ἢ πολὺν ἐμμένει χρόνον. Οὔτε γὰρ ὡς πτελειωμένον, οὔθ' ὡς πάμπαν ἀλλότριον ἔχει τὴν φύσιν. Τῆς γὰρ σκληρότητος ἡ ἀπεψία αἰτία: ἀπεψία γάρτις καὶ ἡ μόλυνσίς ἐσιν. *Quamobrem aut commoritur, aut longo tempore durat; nec enim ut perfectam nec omnino alienam habet naturam, cauſa namque duritiei cruditas eſt, nam inquinatio quædam quoque cruditas eſt.* Et hæc in fine poſt verbum μυλη linea 14. ἢντε γυναιξὶν ἐυλόγως καὶ μαλιςα, ἡ μόναις. *Idque mulieribus probabiliter vel maxime vel ſolis.* Nam ſi totum caput exceptis hisce paucis regulis textui inſertum ſit, facile hæ regulæ addi potuiſſent, & quia non addidit interpretationem latinam, non alio fine probabiliter factum, quam ut reliquis doctior videretur; ut autem curioſo lectori conſtet, qualis curroſitas ſit hujus Naturæ Curioſi, latinum textum adjiciemus, cujus primam medietatem in primo capite hujus tractatus deſcriptam inveniet latino idiomate, quæ ſequitur hæc eſt. *Cauſam hujus affectus dixi in problematibus, afficitur enim conceptus eodem modo quo ea quæ inquinari dicimus, cum elixantur, nec per calorem, ut quidam loquuntnr, ſed potius propter caloris debilitatem: natura enim ægre mori videtur, nec poſſe perficere, finemque appo-*

apponere generationi; quamobrem aut commoritur, aut longo tempore durat, nec enim ut perfectam, nec omnino alienam naturam habet. Causa namque duritiei cruditas est: nam inquinatio quædam quoque cruditas est. Sed quæritur cur cæteris animalibus id non accidat, nisi quid admodum lateat; causam vero esse putandum, quod mulier una omnium animalium uteri affectionibus obnoxia sit, & purgationibus abundet, nec potest ea concoquere cum igitur ex humore concocto difficili conceptus consistit, tunc gignitur quod mola vocatur, idque mulieribus probabiliter maxime vel solis. Dum Harderus Archiphilosophi rationes tanquam columnas non satis firmas considerat, operæ pretium duximus ejus columnas in hac materia audacter, sed non concinne delineatas conferre ad bilancem rectæ & non præoccupatæ rationis, an non pro communi Rei leterariæ & proximi bono præstitisset, suos conceptus ad sensum, qui in verbis Aristotelis delitescit, accommodasse, quam ejus textum orbi literario ut futilem & ridiculum traduxisse, nam primo imprudenter actum est, quod, dum Aristoteles lectorem in græco citato textu remittit ad problemata, non consideraverit, an ipsius conceptus per verba ibidem generaliter expressa speciali explicationis interpretatione aperuisse non potuisset; nam dum in eadem cum Aristotele versatur

navi, quod extra concubitum non generetur mola, facile potuiſſent convenire in cauſa generationis molæ, ſi problema decimum tertium ſectionis quartæ inſpexiſſet, in cujus limine hæc habentur verba; *cur ſi ex noſtro ſemine procreatum animal eſt, prolem id noſtram appellare ſolemus, ſi ex excremento, vel ex parte, vel aliquo alio noſtro prodiit noſtrum id eſſe nunquam fatemur.* Et in obſervatione dicta hæc liminaria quaſi verba ſunt generationis molæ cauſam continentia. *Hæc ipſa autem Naturæ actio, quum à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu eſt.* Nunquid illud *violentum* eſt etiam *aliquod aliud*, illud *aliud* in ſequentibus vocat Ariſtoteles *alienum*, *diverſum*, *malum*, *nocens*, *præter naturam*, numquid violentia Naturæ actioni à perverſa matris imaginatione, vel vehementioribus animi pathematis impreſſa numquid acrimonia tenellas ovi fibras erodens vel rumpens eſt quid alienum, diverſum, malum, nocens, & præter naturam; *quod autem nocet*, loquitur Philoſophus, *quod-malum eſt, id ſuum nullius eſt: nec quod alienum eſt, id ſuum eſſe poteſt: haud enim idem illa ſignificant; ſuum eſſe, & alienum eſſe, vel diverſum vel malum.* Nonne ex hac textuum collatione patet, quod obſervatoris verba, per quæ cauſam molas generantem exprimere videtur, æque generalia ſint ac *Ariſtotelis*,

ſtotelis, qui magis cauſam materialem, ex qua generatur mola, quam efficientem conſiderat; quapropter ipſi glorioſius fuiſſet, quod cum *Ariſtoteles lib. 4. Meteor.* Fateatur, in quo expreſſe agit de actionibus coctionis, maturationis &c., ſe ob nomenclaturæ defectum, ac aptorum verborum inopiam ad alias res propter quandam ſimilitudinem tranſtuliſſe, ſi commodius vocabulum in locum humoris non conceptu ut obſervator infideliter tradit, ſed concoctu difficilis ſubſtituiſſet, vel ſaltem ſpecialius juxta hypotheſim ſuam clarius & diſtinctius explicuiſſet, nam humor acris eſt etiam humor incoctus & crudus, per quam commentandi methodum major literatorum concordia ſervaretur, & veritas facilius & certius erueretur: An vero ipſius cauſæ firmioris imitantur columnis, lectori conſiderandum dabimus.

Primo *Ariſtotelico-Galenicus* clarius & diſtinctius exponere poterit, quomodo ex concuſſione corporis, quæ ſæpe tam vehementer concitatur a paſſionibus hyſtericis, ut vulnera partibus ſolidioribus infligantur, tenellæ genituræ vel ovi, ut ipſe vult, fibræ & partes citius, & certius rumpi poſſint, quam a ſubtiliſſimis & inviſibilibus ideis a matre imaginante ad illas tranſmiſſis: & certe futilis ille eſt, qui negare audet, quod non ſæpius ob paſſionum hyſtericarum ſymptomata conceptui mora injiciatur:

nec

nec videre poteſt, quod vitio pravæ conformationis uteri anguſtati tenellæ ovi fibræ comprimi, disjungi & divelli; vel acres vapores ex uteri inflammatione exhalantes eaſdem erodere & diſrumpere poſſint.

Secundo evidentius cognoſcet, quomodo celerius tenellæ ovi fibræ ex communis nutrimenti abundantia copioſo ſuo illapſu de naturali ſitu & ordine deturbari & in rudem ac indigeſtam maſſam coaleſcere poſſint, quam ex inſenſibilium idearum admiſſione, quæ potius externam formæ ſuæ ſignaturam tenellis iſtis fibrillis imprimerent, adde, quod lampadis flamma copioſo oleo citius, quam idearum per aëra volitantium tranſfluxu exſtinguatur.

Tertio compertum habebit, quomodo certius ratione dibilitatis caloris menſtrui ſanguinis particulæ minus legitime diſponi poſſint ad exiguos tenellarum fibrillarum iſtarum poros juſta proportione ſubeundos, quam ex inertium idearum tranſverberatione, nam acrimonia eſt effectus imminuti caloris, ut obvium eſt in pomis & fructibus immaturis, qui quoniam non ſufficientem caloris experti ſunt actionem, acres, acidi & auſteri ſunt; quibus concoctio legitima deficit; quæ eſt perfectio *Ariſtotelica*, quæ non ſolum in externa figura, colore, aut ſapore eſt definienda, ſed etiam ad intimarum & minimarum particularum

rum figuras, ordinem & ſitum in humoribus eſt amplianda ex quorum conjunctione eſſentialis humorum ſymmetria determinatur, ſi itaque tenellis ovi fibris molæ formam conferat acrimonia humorum, hoc fit propter debilitatem caloris, quæ acrimoniam in humoribus, quibus tenellæ genituræ fibræ alias nutriri aſſeritur, producit, his præmiſſis ad aliam ipſius rationem progredimur, per quam generari molam docet.

Hæc ipſa autem Naturæ actio, quum a violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu eſt, cujuſmodi quid a Matris perverſa imaginatione, vel vehementioribus animi pathematibus frequenter accidit, imo cum ipſæ partes in ovo, earumque fibræ tenellæ admodum ſint, quin ab humorum acrimonia vel vehementiori impetu, rumpi vel erodi, indeque in unam maſſam rudem ac indigeſtam coaleſcere queant; extra aleam ponendum antumo. . . . Quod ſi ergo ex matris vitioſa imaginatione nunc ab externis, motum vehementiorem plerumque concitantibus, nunc ab internis recordatione pertinaci eorum, quæ aliquando vidimus ſpiritus impetuoſe motitantur, ob recitatam partium teneritudinem generationis negotium facillime confunditur, ut fœtus monſtroſus vel maſſa omnino deformis poſtmodum procudantur. Nunquid eodem, ſi rerum ſpectemus ſubſtantiam, redit, nam ſi motus

tus caloris & efferveſcentiæ vitalis in ovo vel in genitura eſt fortior, quam motus ab idearum tranſlatione impreſſus repercutitur, & conſequenter ingenitus ille calor ovi, vel ejus efferveſcentia vitalis, quocumque baptizetur nomine, neceſſario debet eſſe debilior, antequam illa violenta animi paſſio vel perverſa matris imaginatio teneras conceptæ genituræ vel embryonis fibrillas confundat, nam eſt Naturæ regula, quod unumquodque maneat in eodem ſtatu, in quo eſt, donec à fortiori deturbetur, conſequenter illud violentum imaginationis, affectuum, vel eroſionis debet eſſe efficacius, quam interna vis activa in ovo, ſive illa vocetur calor naturalis, innatum calidum, facultas conformatrix, vel virtus plaſtica, equidem vera manet Ariſtotelica propoſitio, quod ratione debilitatis caloris fiat confuſio in embryone teneriori; licet per leges mechanicas evidentius explicetur, in quo natura caloris, vel virtutis formatricis conſiſtat, quam per Scholaſticos Ordinariorum Commentatorum terminos, & quomodo ab externo agente ſuperetur, ideo non eſt docti vel prudentis Ariſtotelis, Galeni, aliorumque graviorum virorum præcepta ut futilia, & ridicula ac Veterum figmenta & ſomnia explodere, ſed præſtat obſcuriores illorum terminos evidentiori Recentiorum experimentorum luce illuſtrare, ut lectori candido conſtet, quod pro veritate & non

non pro gloria certemus; nam certe in hac Auctoris dissertatione æque dubium manet specificum illud internum principium, ratione cujus in ovo, loco recte formati fætus tam confusa massa procudatur, nam primo præsupponit erroneum principium, quod fæmellarum cum fætibus, quos in utero definent, consensio fiat *per filamenta exigua in nervos per sui propagines versus singulas corpusculi* (embryonis scil.) *partes protensas*, quia nulli nervi matris sunt continui cum nervis fætus, nam in tubulo umbilicali nulli dantur nervi, nec ullus Anatomicus, ne *Willisius* quidem qui accuratissime nervorum propagines prosecutus, ullius nervi in vasis umbilicalibus mentionem fecit, quia vegetabilium radices non è terra in plantas, sed è plantis in terram altricem porriguntur, adeoque per illos motuum communicatio inter matrem & prolem fieri nequit; adeoque non est verum communem spirituum pro sensu & motu esse influxum, nam spiritus, dum propriam fætus vivat vitam, in ipso corpusculo conficiuntur, ut ipsemet videtur concedere, dum spiritum nitro-aëreum per delicatulos cerebri poros secerni docet, nisi filamenta solius corpusculi embryonis intelligat, & tunc etiam a Cartesii filiis accusabitur absurditatis, quod non poterit clare & distincte exponere quomodo sine continuatione nervorum infans matrum intelligat suspiria, audiat ejulatus,

tus, videat afflictiones, & patiatur vulnera, cum omnis ſenſatio non per contiguas multo minus longe diſtantes, ſed neceſſario per continuas nerveas propagines fiat, quod diſſecti nervi teſtantur. Quapropter non videtur bene diſtinxiſſe inter imaginationes, quæ pendent a fortuito ſpirituum motu, ab illis, quæ dependent a nervis, quæ magis vivæ & expreſſiores eſſe ſolent, unde illæ harum umbræ & picturæ vocantur, quæ non ſunt tantæ efficaciæ ut partes in ovo duriori pellicula tecto & aquis inutero matris innatante deſcriptas adeo confundere poſſent, quia illarum motus mox in aqueo illo humore ſuffocatur, unde admiranda eſt naturæ atque hujus Auctoris providentia in generationis myſterio; niſi ex ſubitaneo horrore & terrore, aliave ingrata externa cauſa vehementior humorum affluxus excitetur, quibus magis illa confuſio eſt adſcribenda, quam ipſi imaginationi, in quo affluxu cauſarum realitas conſiſtit, quam Pythagoras veſter ad molæ generationem requirit; nec etiam tam clare perceptibilis eſt illa humorum acrimonia, quibus tenella illa nutriuntur ſtamina, cum in ipſis primordiis lacteo alimento in genitura concluſo tam diu alantur, donec placenta ejus quæ vaſa præparata ſunt, in quibus vitalis liquor à matre transfuſus de novo corrigitur, antequam ad fætum propellitur; ex quibus abunde liquet præcipuam illam difficul-

cultatem ab *Ariſtotele* intactam in eadem hac obſervatione etiam tranſiri, nam addendum fuiſſet, quasnam præcipuas partes perverſa matris imaginatio perverteret, & acris humor eroderet, & quarum læſione neceſſario informis vel aliena maſſa, ex concepta genitura procudi deberet; quam difficultatem nos ſupra ſuſtuliſſe confidimus; qua propter lector candidus intelligere poterit, *Ariſtotelis* & Auctoris cauſas pro molæ generatione datas æque bene potuiſſe reduci ad eundem ſenſum, quam illas, quas referunt de minori molarum in brutis frequentia.

CAPUT XXV.

An ex ſemine humano alia animalia & inſecta in utero muliebri generari poſſint.

NOn hæc unius ſcholæ aut gentis vox eſt, homines magis nova quam magna admirari, quamdiu enim ſervatur ordo, cæci ſumus, quia magnitudinem Rerum familiaritas abſcondit, ſi quid præter conſuetudinem ſe oſtentat, oculos aperimus, aures arrigimus, moxque monſtris, quæ majora veris ſunt, fidem adhibemus: hæc vulgus omni ævo formidare maluit, quam ſcrutari, quidquid non capiunt, extimeſcere, ſic pavoris & horroris mater ignorantia eſt, quæ imaginem velut noctis habet,

bet, omnino quidquid in obſcuro eſt, aut fit, percellere ſolet; adeoque ipſa ignorantia caliginoſa eſt, & in ſuperſtitionem trepidas hiſtoricorum mentes rapit, qui poſteris non modo monſtroſos hominum partus enormitate difformes, gigantes & Pygmæos, ſed quævis animamalia ex mulierum ſinu excluſa fuiſſe ob trudunt.

ARGON, alio nomine *MELES*, tranſtulit invitis incolis Regni ſedem ſardis, unde Diis punitus prodigioſo partu leonem è pellice ſuſcepiſſe dicitur; quem cum juxta Telmiſſenſis Oraculi reſponſum circumtuliſſet Arci, tranſlatam ſedem inexpugnabilem uſque ad Cyri tempora fuiſſe creditum eſt.

Similiter in Argoia Helvetiæ Provincia nobilis quædam matrona Leonem crudeliſſimum animal peperiſſe fertur. Imo *Plinius lib. 7. c.* 3 *Hiſt. Nat.* Alcippen enixam fuiſſe elephantem inter oſtenta refert.

Anno 1571. Antverpiæ uxorem Chalcographi invico de Camerſtraet Die D. Thomæ ſa cra hora decima matutina canem perperiſſe legimus apud Paræum *lib. 24. cap.* 12. Talium inſolitorum partuum memoria exſtat in Brixienſium annalibus de duabus fœminis, quarum una canem, altera catum enixa eſt: Nonnulli ſerpentes, talpas, aves, mures, aliave animalia excluſiſſe, inter Hiſtorias refertur; ſed maxim

xime admirandum est Camerarii Doctissimi exemplum, quo refert puerperam quinque vivos mures peperisse, quorum quatuor à Domesticis interfectis, quintus dum celeriori fuga sibi consulens a fele devoratus est, qui felis, mox in rabiem agitatus puerperam aggreditur, & infestat, donec à domesticis cum muribus interemptus fuerit *Nicol. Serm. 6. tract. 3. c. 20.* hæc verba memoriæ prodidit, Physicorum attrahunt sermonem, quod in quibusdam Regionibus meridionalibus, inquibusdam mulieribus malo utentibus regimine, accidit superimprægnatio mendosa & monstrosa, generatur enim in iis animal vivens, quod frequentius est secundum formam oris, magis bubonis, vel arpiæ, & dicunt, quod tantæ sit malitiei, quod in matrice aliquando in tantum comprimit embryonem, quod est causa mortis ejus & abortus, & quandoque in partu simul exit cum embryone, & mordet eum, & ego audivi a fide dignis, quod Pisis hoc pluries contigit.

Savonarola tract. 6. rubr. 17. Adverte quoddam verum mulieribus nostris impossibile apparens; sed certe ita est, & quandoque in nostra evenit civitate; a qua habui, & fuit domina fide digna, mulieribus meridionalis & australis regionis, & mulieribus multi & pravi sanguinis ex malitia regiminis accidit quandoque, ut ultra conceptum verum pariant quod-

dam fruſtrum carneum vivens, ſecum portans formam animalis : quod Dominæ feram appellant. Unde in quibuſdam partibus Apuliæ, ut & vidit pater noſter; communiter mulieres ſic prægnantes pariunt cum fætu feram, bubonem, accipitrem, aquilam, lacertam & hujuſmodi; & aſſerunt illæ mulieres, quod quando cum illo fætu oritur beſtia ſeu fera Nobilis, ut accipiter & hujuſmodi; quod tunc fætus ille ex nobili viro conceptus fuit. Quod ſi fera fuerit ruſtica, ut bubo, lacerta & hujuſmodi, ex ruſtico & vili homine factus ſit: & hæc fera quandoque fætum perimit. Et dicunt, quod tanta eſt proprietas, quod ſi cadat in terram hora partus, mordeat eum, & ſtatim moritur fætus.

Wierus lib. 4. *cap.* 16. *de præſt*: *Dæmon*: In Mayo anni 1562. Mulier juvenis Coloniæ, prope ædem D. Antonio Sacram, puellum ad ſextum menſem lactans, enixa eſt animal fibroſum ad erucæ magnæ longitudinem, dum reptando ſeſe extenderet, ductareturve, unguiculisque prominentibus, dorſo glabro, ventre albicante, capite corneo, nigroque oculis gagatæ lapidi ſimilibus, ore hiulco, lampretæ modo aërem inſpirante : ſub initium cervicis tres viſebantur aculei, aut verius unc utrinque aſperi, quibus, quæcunque vellet amplectebatur, ſeſeque attollebat. Prodii

ver

vero abſque humore aut humidi alicujus mictura ex locis muliebribus ante ſeptimam matutinam, dum forte calceum prona indueret. Vixit autem hoc animal in tertium diem lacte nutritum. Mortuum à Chirurgo inciditur, præſente D. *Bernardo Cronenburgio* Medico Excellentiſſimo, qui ad hujus miraculi inſpectionem vocarat *D. Johannem Echtium & Hubertum Fabrum* Medicos; mihique poſtea ob caſus raritatem communicavit.

Varias ejuſmodi hiſtorias Matronas & viros fide dignos aliena tamen fide referentes ſæpius audivimus, ipſimet auctores ſe ex aliorum relatione annotaſſe fatentur, quapropter merito cenſemus, tales hiſtorias laborare fide, & quia in praxi plures in portentoſa materia mihi occurrerunt fraudes, veniam ſpero apud lectorem merebor, quod me valde difficilem exhibeam in ejusmodi hiſtoriis vel vivis enarrationibus meum adjiciendo calculum, quarum aliquot breviter enarrabimus, antequam illas ad rationis incudem revocemus.

Omnibus ferme Batavis innotuit illa fama, quæ ante viginti quinque circiter annos increbuit, de quadam filia devota habitante in Beginaſio Delphenſi, è cujus oculorum canthis confertim ſanguis effluere, in ventre ranarum coaxationes manifeſte audiri, eaſ-

que excludere, aliave id genus portentoſa ſymptomata pati dicebatur, tanta dexteritate ut non ſolum domeſticos Theologos ac Medicos D. Sturmium & Vallenſem illuderet, ſed ob caſus raritatem medici celebriores Vicinarum urbium tam catholici, quam à catholicis convocabantur, inquorum præſentia hæc comædia tanto artificio agebatur, ut illi nullam fraudis ſpeciem, quantumvis omnia accuratis oculis exactoque judicio examinarent, deprehendere potuerint, adeo ut hæc comædia pro vera hiſtoria habebatur, donec callida hæc muliercula in fine vitæ ſub agone mortis confiteretur, ſe omnia iſta portentoſa ſymptomata aſtu ſimulaſſe, eaque ſubtili artificio procuraſſe; non alio fine, cum ipſa dives eſſet, quam quod ipſius nomen non modo per totam patriam, ſed & per univerſum orbem celebraretur, ejuſque memoria æternitati conſecraretur.

Leidæ habitavit paupercula alens puerum, ut ipſa dicebat, duros ſilices per alvum excernentem, quibus à ditioribus copioſas impetrabat eleemoſynas, unde pancratice vivebat, donec fama ad Medicos, & ob eorum de caſus poſſibilitate diſcrepantiam ad Magiſtratum delata ſit, qui matrem & filium ſeorſim arctiori cuſtodiæ tradebant; & mox lapideus iſte fluxus ceſſavit, fraudeque detecta mater vit-

gis

gis cæſa cum puero urbe expulſa eſt: ſic nos ipſimet ex propriis, Amſtelodami fumivendulus agyrta gloriabatur ſe ex mulieris femore exſecuiſſe ova, quæ pretio ſpectanda exhibebantur, unde multæ fæminæ ad hoc ſpectaculum confertim confluentes veritatem hiſtoriæ per civitatem ſpargebant; adeo ut etiam multi Naturæ curioſi accederent, qui ova hæc alio oculo inſpicientes deprehendebant eſſe membranam pinguoribus glaudulis refertam, quales ſæpe in atheromatum & ſteatomatum tumoribus reperiuntur; quali tumore hæc paupercula laboraverat, quem dictus Agyrta ſectione ſuſtulerat.

Ab annis circiter quatuordecim cæmentarius quidam medicaſtrum agebat Amſtelodami, qui mulieribus perſuadebat ſe habere cujuſdam Judæi libros manuſcriptos, in quibus arcana remedia contra Naturæ muliebris morbos continebantur, unde mox dicacularum & credularum confluxus, & tanta fama ſuborta fuit, ut externæ etiam ipſum accederent; tandem quædam honeſta virgo alcmariana per multos annos valetudinaria ipſius implorat opem, cui perſuadet, illam in utero geſtare vivum aliquod animal, quod tolli nequit niſi extractione; illa ſanitatis deſiderio rapta poſt multas deliberationes conſentit, & cum ipſo contrahit de pretio. Die & hora ſtatuta iſte

nebulo ſolus virginis clauſtrum ſpeculo matricis aperit, uterumque dilatat, manibuſque interiora perluſtrat, & aliquod fruſtum fætidi hepatis bubuli in terram dejicit, clamando, ecce habeo beſtiam illam, quæ te tot annis excruciavit, innocens puella tali partu lætabunda dolorum obliviſcitur, ſed cum iſti dolores magis magiſque indies increſcerent, petiit iſtius beſtiæ viſum, ut & ejus amici, ſed renuit, unde ipſa tandem ex doloribus ſero Sapiens indignabunda in ipſum invehitur, & ubique quærelas de tanto maleficio fundit, ut ille tandem coram collegio Medico citatus, examinatus & convictus ex urbe pelleretur, ſi hanc puellam cautius & ſine laceratione tractaſſet, dolores non tantopere aliove modo increviſſent, & ſic illa puella certo certius affirmaſſet, ſe talem beſtiam excluſiiſſe. Paulo ante illud tempus moratus ibidem fuerat alius circumforaneus, qui ſibi magnam medendi famam comparaverat; unde à Collegio citatus, ut ipſis demonſtraret ſuam praxin medicam exercendi facultatem, comparens, exhibet magnum diploma mirabilis curæ cujuſdam fœminæ ſigillo Civitatis Zwollenſis munito; & prælegit, quomodo quædam fœmina coram Magiſtratu Zwollenſi juramento depoſuerit, ſe poſt aliquot annorum infirmitatem, multaſque fruſtra adhibitas Medicinas ſubſidio dicti agyrtæ ex-

excluſiſſe animal vivens, quod habebat caput vituli, pedes canis, oculos aquilæ, caudam vulpis, imo vix aliqua dari videbatur animalis ſpecies, de cujus parte, quædam non participaret hoc animal, ut perfectione ſua nobis riſum moveret, ſed Præſes tantorum mendaciorum pertæſus ipſi ſilentium impoſuit, & praxim interdixit; poſtea certo percepimus, quodilla fœmina erat paupercula, quam ad talem atteſtationem coram Magiſtratu deponendam præce & prætio corruperat; quo teſtimonio adeo ſuperbiebat, ut auderet in noſtrum præſentia audacter aſſerere, ſe eſſe peritiorem toto Medicorum collegio.

Hæc & multa ſimilia in ejuſmodi caſibus exempla nobis in praxi obvia nos valde tardos reddiderunt, antequam talibus portentoſis morbis & curis aſſenſum præbeamus, ideoque quid veri ſub enumeratis Hiſtoriis ſubeſſe poſſit, ex ſanæ rationis promptuario enarrabimus.

Ut igitur clarum & diſtinctum de propoſita quæſtione formemus conceptum, ante omnia recte interpretandum eſt dictum *Ariſtotelis*, quo ſolem & hominem generare hominem aſſerit, nam ex eo manifeſte evincitur, in generationis myſterio præter maris & fœminæ calorem requiri externam aliquam principaliorem & efficaciorem cauſam, quam ſub nomine virtutis plaſmaticæ, aut facultatis conformatricis

hactenus descripserunt Classici scriptores, qui termini sunt tantum meræ voces nil, lucis ad rerum naturalium explicationem adferentes, quapropter per solis in generatione humana influxum nil aliud intelligi potest quam ipsissimus primi elementi Cartesiani sive subtilissimæ materiæ transfluxus, à quo omnis omnium corporum sublunarium activitas & efficacia dependet, qui transfluxus non ex qualibet materia quælibit promiscue, sed ex certa certa corpora producit, nam est alligatus legibus, quas in singulis corporum naturis quoad insensibilium particularum figuram, motum & ordinem earumque pororum interstitia insculptas invenit, unde non potest aliam corporis speciem ex materia elaboranda producere, quam in minimis insensibilium particularum texturis descripta est.

Secundo considerandum est, in genitura humana in utero matris concepta, nullius alterius animalis vel ejusdem partium rudimentum quam ipsius hominis contineri, adeoque si talia rudimenta accederent, necessario illa ab extrinseco genituræ immiscere deberent, quod etiam impossibile est, non enim a sanguine materno, cum ille talia alterius animalis seminalia rudimenta non complectatur: non etiam ab imaginatione matris, cujus beneficio quippe idea alicujus animalis ex horrido ejus aspectu vel

vel alicujus fructus nimio diſiderio appetit, in cerebro matris impreſſa ad embryonem transferri poteſt, & externam producere delineationem, vel tali modo genituræ particulas concutere, ut fœtus monſtroſa aliqua parte in lucem prodeat, ſed nullo modo imaginatio poteſt genituram transmutare; nec ullæ aliæ cauſæ externæ conceptibiles ſunt, quæ in ſemen humanum, quod in interioribus ſui receſſibus humani corporis formam realiter quamvis inſenſibiliter delineatam continet, aliam animalis formam toto genere vel ſpecie diverſam introducere poſſint, nam corporis humani forma ſemel impreſſa ſemini, non poteſt degenerare in aliam animalis figuram, niſi prius ipſa corporea ſeminis ſubſtantia ad primam naturæ corporeæ ſimplicitatem ſive tenuitatem, vel ut cum Scholaſticis loquar, ad materiam primam uſque reſolvatur, quæ reſolutio in utero muliebri fieri nequit, quia ille eſt locus talibus qualitatibus præditus, quæ non ad intimam ſeminis compagem diſſolvendam, ſed ad ejus texturam in trinam dimenſionem perfectius extendendam conferunt; nam quamvis natura nullibi magis & ſæpius ludat quam in materia generationis; nunquam tamen à recta ſpeciei conceptæ imagine prorſus abludit, quia errare à via non eſt viam tollere, nam quotiescunque humanæ fabricæ conceptio facta eſt in ſinu muliebri

ebri, ejus progreſſus quidem variis de cauſis impedire poteſt, a nulla vero cauſa, ne ab ipſo diabolo quidem in aliam formam tranſmutari poteſt; quia quidquid via generationis mundi theatrum ingreditur, illud mediante ſuæ ſpeciei ſemine ex orco in lucem prodit, cum itaque omne ſemen ex ipſa animalis ſubſtantia cujus eſt ſemen, deſumitur, neceſſario ipſa ſemina tanto gradu inter ſe differunt, quam ipſa animalia, quapropter cum nulla animalia ſpecie vel genere diverſa in mutuas ſui formas tranſire poſſunt, niſi prius eorum ſubſtantia omnium coctionum torturas ſubeat, ut in chylum & ſanguinem iſti animalium generi ſpecificum abeat, qua mediante metamorphoſi in alimentum talis animalis convertatur, eaque ratione ejus formam ſuſcipiat, eodem prorſus modo genituræ in utero animalium conceptæ non in aliam animalis formam degenerari poſſunt, niſi prius earum ſubſtantia totidem modis alterata in alimentum & deinde ex alimento in ſemen convertatur; quales mutationum metamorphoſes in utero fieri nequeunt; quia illæ imaginationis & putrefactionis vires longe ſuperant; nam per illas concepta genitura fœcunditatis quidem jacturam pati, vel indecenti partium ſitu, aut externa alicujus partis aliorum animalium figura, ſive inſectorum effigie aliove charactere vitiatam prolem

prolem producere, nunquam autem internam & eſſentialem alterius animalis ſpecie vel genere diſtincti formam induere poteſt, quia ut genitura humana hominis forma exuta aliena inveſtiretur, deberet in ipſa tota & perfecta tam internarum quam externarum partium figura verb. grat. corporis leonini, elephantini, ſerpentini, aliorumve prius ruditer & compendioſe delineari, cujus impoſſibilitas ex naturæ ordine & rectæ rationis dictamine evidenter colligitur, quia nullus talis & tantæ transmutationis modus excogitari poteſt, niſi quis Ovidii fabulas pro certis ſcientiæ Phyſicæ regulis & experimentis admittat, quia ſolis aliarumve conſtellationum influxus id eſt ſubtiliſſimæ materiæ globulorum æthereorum transfluxus non magis immutare poteſt humani corporis formam in genitura delineatam, quam ignarus artis vitrariæ homo inflare formam animalis chirothecæ, aliarumve rerum per eadem inciſionem in vitrea bulla deſcriptam, nam errores, qui in generationis myſterio ſubinde contingunt non activis generationis principiis ſed vitioſæ materiæ elaborandæ præparationi adſcribendi ſunt, quæ ob heterogeneas, ſibi admixtas particulas, vel proprias in convenienter diſpoſitas naturæ legibus in generationis motu conſuetis obedire nequit, quo-

quapropter variæ morborum externæ & internæ cauſæ in utero impleto concurrentes, poſſunt quidem aliquam deformitatem vel monſtroſitatem quoad partium numerum, ſitum & magnitudinem inducere, vel externam alicujus parvi animalis figuram in ſuperficie delineare, ſed, integram corporis humani formam delere novamque ſubſtituere nequeunt, nam nullum monſtrum humanum dici poteſt, niſi hominis forma prævaleat; non enim ex omni ligno fit Mercurius, quia ſemen eſt ſubſtantia animalium corporibus in copula præciſa, quæ intrinſecum activum complectitur inſenſibile principium intra ſenſibiles materiæ ſeminalis parietes concluſum, cujus motu ab æterno & univerſali ſubtiliſſimæ materiæ cæleſtis tranſfluxu prius actuato & continuato animalia non ab umbilico ad ovum ſed ab ovo ad ambilicum ſenſim ad perfectionem juxta delineationem animalis, cujus eſt ſemen, cum debita partium internarum & externarum temperie & conformatione ſecundum leges mechanicas perducuntur, quale principium non eſt ſemen maſculinum aut fæminum ſeorſim conſideratum, ſed tunc demum ſeminis meretur nomen, quando vis illa, quæ à mare aut fæmina foris advenire debet, in illud influxit, quæ in amoris palæſtra per ſubtiliora microcoſmi corpuſ-

puſcula certatim in genituram transfunduntur, quæ corpuſcula juſto ordine & ſitu collecta & diſpoſita ſeminis germen conſtituunt, in quo breve hominis compendium continetur, quæ corpuſcula à Medicis ordinarie nomine ſpirituum animalium & vitalium interpretantur, quamvis non ſatis accurate, ut ſupra docuimus, quia intra microcoſmi aliorumque animalium ambitum neceſſario adhuc alia corpuſcula longe ſubtiliora ad omnia ſpatiola occupanda contineri debent, inter quæ cum in unoquoque genere animalium magna detur quoad figuram, magnitudinem, ſitum & ordinem inæqualitas, eorumque texturarum & complicationum diverſitas, neceſſario illorum germina, quæ ex diverſis iſtis conflantur particulis, eodem gradu inter ſeſe differunt, quæ gemina à nullis aliis cauſis quam ab ipſis animalibus produci poſſunt, quia ipſa ſeminis ſubſtantia phyſice conſiderata nihil aliud eſt, quam ipſæ ſanguinis particulæ proxime ad vitam diſpoſitæ, id eſt tali modo figuratæ & juxta ſitum & magnitudinem conformatæ, ut his vel illis partibus vel humoribus corporis viventis proxime uniri vel intime commiſceri poſſint, quæ propter copiam tempore pubertatis non omnes applicari poſſint, multæ perpetim cum ſanguine circulantur, & ab interna & continua partium per globu-

los

los vitales irraditatione rudem hominis delineationem in ſe ſuſcipiunt, quæ tandem per vaſa ſpermatica in teſtium poros trajecta ibidem viſcoſam & candidam aſſumunt veſtem, donec eadem veneris imperio ad ejus celebranda ſacra exuantur, & in fornace amoris in bullam criſtalinam fundantur, ut in illo fluido rudis delineatio commodius extendi poſſint; quæ germinoſa ſeminis corpuſcula ut & prima eorum alimenta cum ſint longe diverſæ naturæ in genitura humana ab illis, quæ in corpore leonum, elephantum, ſerpentum, piſcium, muriumque corporibus eorumque genituris & oris reperiuntur, extra omnem dubitationis aleam certiſſime concluditur, illas genituræ humanæ particulas, in quibus prima humanæ fabricæ ſtamina ſuperſtructa, à principio interno concurrentibus cauſis externis, actualiter in uteri thalamo ad majorem perfectionem indies promoventur, non poſſe degenerare ibidem in genituram animalis toto genere diverſi, nunquam enim talis metamorphoſis in ipſis vegetabilibus obſervata fuit, nam ſemen chærefolii in æternum non degenerabit in petroſelinum quamcumque cæli temperiem, annique tempeſtatem, ſive quodcumque ſolum, aut quemcumque putrefactionis aut corruptionis modum imaginemur; omnes etiam rationales

Chy-

Chymici ingenue fatentur, ſe nihil novi omni ſuorum inſtrumentorum ſupellectili, nec univerſo ſuarum operationum apparatu nec diverſiſſima caloris modificatione, fornaciumque variatione producere poſſe, ſed ſolummodo illa diverſæ naturæ ſubſtantias, quæ in corporibus inviſibiliter deliteſcunt, à ſe invicem ſeparare, quapropter ejuſmodi hiſtorias recte ut aniles fabulas rejicimus, nam omnia animalia ex proprio & non alieno ſemine naſci certum eſt nam quod quandoque in vitris, lapidibus, aliisve materiis variis cauſis fortuito concurrentibus ex particulis vaporum ac exhalationum hominis aliorumque animalium imagines exterius delineentur nihil omnino concludit pro iis, qui partem affirmativam tueri conantur, quia longe diverſa eſt ratio illarum rerum, quarum formæ ſimplici corpuſculorum congregatione & ſeparatione in mundi ſcenam prodeunt, quam illarum, quarum formæ per intrinſecam particularum mutationem in rerum claſſes collocantur; non enim nobis imaginari poſſumus, quod contrariæ ſententiæ patroni credant, vitris ant vaporibus ineſſe vim ſeminalem, qua ex ſe producant hujus modi figuras.

Tertio, ut horum caſuum impoſſibilitas lectori evidenter conſtet, conſideranda eſt diverſa determinatio generalis iſtius virtutis, qua

ſingulas res omnes mecum experiuntur actuari & conſervari, quæque in hoc univerſo ordine immutabili omnium rerum ortus atque occaſus cauſa exiſtit, in aliis corporibus citius in aliis tardius ſe prodens vel evaneſcens, hæc virtus eſt rapidiſſimus ſubtiliſſimæ materiæ motus, quæ principia interna perenni & univerſali ſuo transfluxu excitando univerſalis quaſi omnium rerum facultas formatrix & conſervatrix eſt, & quæ pro diverſa tam ex parte cauſarum coperantium quam materiæ coperandæ diverſitate diverſos & diverſiſſimos effectus producit, quapropter cum jam ſole meridiano clarius pateat, in congreſſu leonis cum leæna, cati cum catula, aliorumque animalium ſubtilem materiam longe aliter determinari tam ex parte copulantium quam ex parte ſucci ſeminalis per dictam copulam in opportunam matricem excuſſæ & unitæ, quam in humani amoris paleſtra, judicamos æque evidens eſſe quod uxor imprægnata ſe ſola, vel marita ſubſidio coadjuta talem determinationem præterlabenti materiæ cæleſti imprimere nequeat, quæ tamen eſt neceſſaria in ordine ad certum & determinatum effectum producendum, quia ſubtilis illa materia ex ſe ad omnes omnino effectus eſt indifferens; nam per imaginationem beneficio fortuitæ & irregularis ſpirituum agitationis nil poteſt deferri ad genituram, quam idea talium animalium

lium per ſubitaneum occurſum, vel ſpontaneam excitationem cerebro impreſſæ, quæ ideæ talium animalium in uterum tranſlatæ nullo modo eſſentialem genituræ texturam per ſe poſſunt diſſolvere, non magis quam in Vniverſo vaporum particulæ vitiorum & januarum machinam deſtruere, in quibus varias variarum rerum figuras delinearunt, multo minus novum diverſi animalis ſemen ſubſtituere, quia propria animalia ſemina non ab aliis cauſis quam ipſis animalibus produci poſſunt, nam particulæ ſeminis non in aëre aut in terra ſed in corpore parentum ſuam figurationem accipiunt: vero, qui cum pertinacia vulgi errorem conantur defendere, quidem concedere volumus, in ſemine humano abſolute loquendo unam vel alteram poſſe aliquando inveniri particulam tali modo figuratam quæ in ſtructura corporis leonini, alteriuſve animalis uſui eſſe poſſit, ſed illæ paucæ particulæ, ſi non expellerentur ſed in fabricam corporis humani applicarentur, non poſſunt immutare integram hominis formam in Germine prius expreſſam, deinde prius lacteo humani ſeminis alimento, poſtea ſanguine materno, auctam & extenſam, non magis quam tres quatuorve guttæ aquæ vini generoſi naturam in plauſtro contentæ, nam ad alicujus animalis corporis fabricam non ſufficiunt tres

quatuorve particulæ unius alicujus partis ſed requiruntur integra eorum inviſibilium particularum turma & ſeries ſingularum partium, antequam totius corporis ſingularumque partium forma viſibilis appareat.

Denique ut omnia alimenta in lucem edita non quodvis alimentum promiſcue aſſumunt, ſed ſibi convenientiſſimo tantum veſcuntur, multo magis tenerrium iſti embryones congruo pabulo enutriendi ſunt, quod primum lacteum alimentum in omni ſucci ſeminalis maſſa juxta generis & ſpeciei diverſitatem animalis continetur, unde liquet, ſi forſan aliquot peregrini ſeminis particulæ in humana darentur genitura, illæ præ congrui alimenti penuria non poſſent juxta formam ſuam extendi & augeri, ſed ut ſteriles & mutiles expellerentur eodem modo quo peregrinæ in ſanguine particulæ magno ſepæ molimine extruduntur, vel in externorum tegumentorum fabrica conſumentur, nam quamvis primum illud præcipium animalium formatris in exiguo germinis corpuſculo contineatur, antequam formationem corporis moliatur, quibuſdam indiget adhuc adminiculis, utpote variis membranis, placenta uterina, tubulo umbilicali, aliiſque, quorum rudimenta in reliqua corporis ſeminalis maſſa diſperſa ſunt, & niſi ea pariter illibata conſerventur, irritus fit conceptus. Sic chalazæ, fiere albicantes & criſtal-

criſtallinæ illæ glandulæ, quæ in omnibus ovis detecto cortice in conſpectum prodeunt, quas mulierculæ galli ſemen eſſe arbitrantur, nam licet in illis nulla ſeminalis virtus reſideat, ita tamen neceſſariæ ſunt in generatione pulli in ovo, ut omne facultatis plaſmaticæ molimen in fruſtraneum abeat conatum, niſi dictæ grandines adſint, nam hæc & omnis vis plaſtica materia rite præparata neceſſaria eſt citra quam pulli formationem abſolvere non poteſt, quæ materia, cum rurſus variis egeat diſpoſitionibus, nullam admirationem meretur, quod ſeminalis perfectiorum animalium virtus, quæ majori indigent apparatu, & neceſſaria ſua aduncula latius atque diffuſius per majus corpus habent diſperſa facilius corrumpatur, & citius evaneſcat, & non in actum prorumpat; omnibus adminiculis naturæ animalis convenientibus ſemen humanum etiam indigeret, ſi ex illo perfectiora vel imperfectiora animalia generarentur, quapropter cum illa habere nequeant ex ſolo illo capite contraria ſententia rejicienda eſt; nam illæ ſubſidiariæ ſubſtantiæ æque toto genere vel ſpecie a ſe mutuo differunt ac ipſa animalia, cum ex proprio ſemine ſingulorum animalium originem trahant, quale ſemen maritus in uxoris ſinum effundere, vel ipſa ſuis loculis in uteri thalamum excutere, aut conceptam genituram nullis imaginationis ſuæ viribus aut ulla pu-

trefactionis efficacia, intantum immutare nequit, nam certæ & immutabiles ſunt Naturæ in animalium generatione leges, quæ a nemine niſi à Deo ipſo, qui iſtas condidit, immutari poſſunt, quapropter tales portentoſæ in utero muliebri generationes merito ſuſpectæ habendæ ſunt, unde recte *Rondeletius lib. de dignoſcendis morbis cap.* 1. Syncera ſententiam profert, quia raro ea accidunt, ob id non poſſumus de illis judicare, niſi aſpectu; nam certe illæ hiſtoriæ ridiculas ſuperſtitiones ſæpe complectuntur, quibus a viris probis & ingenuis fides adhiberi nequit: ita enim loquitur *Bonaciolus* lib. 1. morb. muliebr. cap. 6. *Quaſdam mulieres nonnullis Regionibus meridionalibus animal vivens, quod feram cognominant, frequentiſſimum in Hiſpania vitium, genuiſſe compertum habetur. Quod ſi, dum editur, terram parieteſve caſu aliquo in auſpicato tetigerit puerpuræ mortem veridico auſpicio auſpicari extra omnem fortunæ aleam autumant: Quocirca priuſquam enitatur, loci illius, in quo prægnans parturire debet, parietes ornamentis protegunt, tapetia & id genus reliqua pedibus ſubſternunt.* Qui ſuperſtitioſus præſervandi modus non alio nititur fundamento, quam infida credularum mulierularum iſtarum Regionum traditione, ſimili baſi ſuperſtructa eſt noſtratium obſtetricum praxis, qua enixas

enixas nono die à partu in latus dextrum reclinatas viginti, quatuor horas decumbere volunt, ut uterus in locum naturalem revertatur, cum potius propter eundem finem juxta naturæ leges ſupina, jacere deberet, quia uterus in media corporis linea naturalem ſuum ſitum habet; quæ praxis proculdubio ab aliqua obſervatione originem ſumpſit, qua uteri ligamenta in uno latere magis, quam in alio propter partuum dolores fuiſſe laxata deprehenſum fuit, quæ laxatio tali ſitu corporis citius curata fuit, unde etiam iſtæ Doctrices in diverſis Provinciis variant, in quibuſdam tractibus latus dextrum in quibuſdam ſiniſtrum eligentes.

Ex dictis manifeſte liquet, ex genitura maris & fœminæ complexu in utero concepta nulla putrefactionis aut corruptionis ſpecie, nullaque imaginationis virtute animal genere vel ſpecie diverſum ab homine naſci poſſe, ſed errore imaginantis matris vel in diæta peccantis matris infantem quidem certis certorum animalium extrinſecis ſignaturis in lucem edi, vel ipſi fœtui aliquam monſtroſitatem poſſe adjungi; nam imaginatio non poteſt per ſe intimam genituræ conceptæ texturam prorſus diſſolvere, niſi propter vehementiam accedat aliorum humorum in uterum confluxus, quos ibidem putreſcentes ſub ſequi poteſt plenaria genituræ deſtructio, ſed nulla novi ſeminis diverſum animal complectentis ſubſtitutio. Ulte-

Ulterius disquirere libet, si non ex semine seorsim virili aut muliebri alterato aut putrefacto vel conjunctim aliud animal generari possit, an non ex aliis humoribus in uterum confluentibus, & speciali modo putrescentibus tales portentosæ generationes originis suæ incunabula suscipere possint, cum auctores passim doceant, multa animalia in terræ penetralibus spontaneo ortu sine semine vel ullo seminis analogo emergere posse. Ut hoc dubium removeatur primo distinguendum est inter animalia perfectiora, imperfectiora, & insecta, secundo dictæ propositionis sensus bene interpretandus est, *an scilicit* humores extra succum seminalem in utero putrescentes qui nullius animalis semen in se continent, virtutem illam seminalem ad distincta animalia generanda ab ipso utero accipere possint; *an vero* ex humoribus peregrinorum animalium Semina conferentibus, & per putrefactionem in utero dissolutis, non exputrefactis humoribus, *sed ex contento semine* ab impedimentis liberato animalia contenta in actum generationis educi possint.

Quantum ad animalia perfectiora in supradictis abunde demonstravimus, illa non posse generari ex semine humano in utero muliebri concepto, nisi prius ad primævam Naturæ corporeæ simplicitatem reductum sit, & consequentem multo minus ex humoribus, qui nec

du

dum primum virtutis ſeminalis gradum adepti ſunt, quæ reſolutio nulla putredine abſolvi poteſt, ergo multo minus ex aliis humoribus.

Quoad cætera animalia, quæ ex putri materia, vel ſpontaneo ortu naſci communiter docent, major eſt difficultas, verum tamen qui conſiderant, per putrefactionem ſolummodo diſſolvi formam iſtius corporis, in quo odioſa illa Dea ſedem figit debebunt fateri, putrefactionis actu nullum aliud ens de novo per ſe in Rerum claſſem produci, ſed ſolummodo per accidens ſopita rerum ſemina ejus beneficio in generationis actum rumpere, nam inſectorum ſemina per multos annos illæſa poſſe ſubſiſtere indies experimur in lignorum teredinibus aut coſſis, in veſtium tineis, in librorum blattis, in carnium caſeorumque vermibus, qui in dictis corporibus non ſimplici productione, actione generationi oppoſita, de novo efformati ſunt, quia per illam non alia corpora in Rerum ordinem rediguntur, quam illa quæ per meram externam particularum juxtapoſitionem originem & incrementum ſumunt, ut mineralia, metalla & lapides, cum igitur omnia animalcula quantumvis exilia & abjecta eodem modo ac majora quæ hominibus cara ſunt per principium internum nutriantur, etiam neceſſario eodem generationis modo in mundi ſcenam prodeunt,

deunt, nam nutritio animalium nihil aliud eſt, quam eorum continuata generatio, quæ in duplici animalium & vegetabilium regno per internum ſeminale principium ſolummodo abſolvitur; quale principium materia ſubtilis per ſe ſola non poteſt tenerioribus terreſtris materiæ particulis quocunque modo agitatis elargiri, quia illa ad omnes omnino in hac ſpatioſa mundi machina effectus eſt indifferens, adeoque ut certa quædam animalis vel vegetabilis ſpecies Univerſi theatrum ingrediatur, debet ad illam ſpeciem determinari à principio intrinſeco, quod omni ſpeciei, ejuſque individuis prima ſuæ originis incumbula præbet, & quod in progreſſu ſpecificæ ſuæ Naturæ ſtatum tuetur, nam ſubtiliſſima materia ſui transfluxus curſum non immutat, niſi pororum & meatuum variationem inveniat, quorum immutatio neceſſario ab alio principio procedit, quod in unaquaque Rerum ſpecie certo determinatum & conſtans eſt, quia ex illo determinatæ certæque ſpecies certis temporibus certaque loci opportunitate perpetua quaſi lege oriuntur, & diverſiſſimæ quidem in eodem ſolo, a quo ſpecifico determinationis motus, & materiæ figurationis principio a ſubtili materia actuat omnia animalia & plantæ naturam ſuam eique debitas proprietates mutuantur; nam illud particulas ad plantarum animaliumque germina juxta ſpeciei ſuæ leges ex-

extendenda appulsas immutat figuras, disponit tali ordine, qui tali animali vel plantæ essentialis est; non enim considerandum est, quod corpuscula in prima creatione producta in generationis & corruptionis vicissitudine nullam intrinsecam mutationem experiantur, sed solummodo extrinsecus situm & ordinem cum aliis corpusculis mutando tam diversorum corporum naturalium materiales & formales causæ existant, inde enim sequeretur, osseas particulas minimas istum pulverem, in quem ossa conversa sunt, & in quo nulla ossis vestia apparent, constituere, quæ externa solum specie immutata, & intrinsecam naturam retinentes, externorum sensuum judicium fugiunt, in qua sententia S. Scripturæ non sua constabit authoritas, quæ testatur, hominem ex pulvere terræ tanquam ex materia præexistente factum, & in eum Divina lege rursus reverti, nam cum universa Rerum natura non inerti otio torpeat & quiescat, verum æterna & immutabili vigoris atque motus efficacia vigeat ac floreat, quænam ratio movebit Philosophos, quare illa exilia corpuscula ex pulchro tam gratæ vicissitudinis ordine eximerent quod non ex illo naturæ universalis & specialis motu & vigore, quo Rerum universitas ad tot entium species producendas fæcunda est, experirentur intrinsecam mutationem, cum nullum corpusculum tam exile con-

concipi poteſt, quin adhuc indefinite in minores & minores diviſibile ſit & ubi in hac aſpectabili Mundi fabrica tot dentur ſubtiliſſima diverſi generis corpuſcula, qua perenniter meando atque remeando facile in quævis obvia corpora per univerſum diſperſa vim ſuam exſerant, quæ intrinſeca figurarum, magnitudinis, ſituſque minimarum particularum immutatio in generatione potiſſimum abſolvitur ab interno & ſpecifico principio, adeo ut ſubtiliſſima cœlorum materia ſit quidem omnium generationum excitatrix ſed non formarum ex illo naturæ ſenſu prodeuntium generatrix, nam ſi ſtatueremus, illam generali ſuo transfluxu omnium rerum formas producere, experientia nos errores convincet, qua compertum habemus, has vel illas plantas magis in hoc quam illo luxuriare agro, hæc vel illa inſecta potius in hoc quam in illo tractu naſci, quam certam diſcretarum herbarum & animalium varietatem non ſemel per aërem fortuito aliquo caſu, ſed certa ſingulis annorum decurſibus lege, & æterno quaſi ſucceſſionis ordine obſervamus, qualis in generationum viciſſitudine phænomeni a nulla alia cauſa deſumi poteſt, quam à certis & determinatis omnium vegetabilium ac animalium ſeminalibus principiis, quapropter recte nos concludere nobis perſuaſum habemus, nullas herbas aut animalia quantumvis vilia ſponta-

taneo ortu vel putrefactione, ſed ex ſemine in materia putreſcente concluſo, quod diſruptis obſtaculis a cauſis externis in actum excitatur, oriri, & idcirco nos putamus vermes in carne & caſeo ex eorum ovis in illis concluſis, nativitatis ſuæ exordium capere, quæ gramini herbarum in foliis aſperſa, quæ vaccæ & oves comederunt, intacta venas lacteas ad intrarunt, quorum aliqua ad mammas delata cum lacte emulgentur, è quo conficiuntur caſei, aliqua ad cordis thalamos transmiſſa cum ſanguine tam diu circulantur, donec inveniant in carnium ſubſtantia aliquos meatus figuræ ſuæ correſpondentes, in quibus tamdiu divertuntur, donec caro mactata putredinem concipiat, cujus beneficio, ab incarcerationis vinculo liberantur, & levi externarum cauſarum, concurſu in actum producuntur; Experientia notum eſt, muſcas, cum impræ gnatæ ſunt, ova ſua promiſcue deponere, & excernere in iſtis corporibus, quibus inſident, & ſi ſemen illud commodam matricem nanciſcatur, verb. grat. carnem, vermiculus brevi enaſcitur, ſic conſtat erucarum ova ſæpius vento in longinquas Regiones deferri, & vere accedente infinitam inſectorum ſobolem producere. Deciduum rorem in ſe exigua corpuſcula ſeminalia, quæ prout incidunt in certas herbas, animalcula excludunt continere naturæ curioſis certum eſt; ſin in plan-

plantis excluſioni minus aptis vis ſeminalis tamdiu ſopita jacet, donec aut loci & temporis mutatione in actum prorumpat aut emoriatur. Quapropter nullum dubium eſt, quod virtus ſeminalis inſectorum in exiliſſimo corpuſculo hæreat, ejuſque vis longo tempore integra conſervari poſſit. Idem probant quorundam morborum hæreditariorum ſemina, quæ in primo embryonis conceptu ſparſa ſe non niſi in ætate provecta produnt, ut & dentium ſemina, ac ſeminalis pilorum virtus, quæ in mento virorum & regione pubis, per multos annos iners tandem circa laſcivientem pubertatem ſeſe exſerit. Hæc ſeminum inertia cauſa eſt, quare liberi non ſemper patrem, ſed ſæpe avum aut atavum referant, idem tam in columbis obvium eſt quod quæ ſæpe tertia generatione ſunt productæ calore & alliis proprietatibus potius referant eas columbas, a quibus duobus, quam eas, à quibus una tantum generationis gradu differunt. Unde nemini mirum videri debet, quod inſectorum ſemina cum alimentis deglutita diu in corpore muliebri ſopita jacere, & cum ſanguine circulari, tandemque ſe cum aliis humoribus in uterum deponere in quo per humorum putredinem a vinculis inertiæ liberata in actum excitantur; adeo ut Hiſtoriis de inſectorum excluſſione ex intero muliebri merito quidem fides adhibenda ſit, non quod illa putre-

tredini, ſed ſemini in humoribus putreſcentibus præexiſtenti ortum debeant: unde non ſatis admirari poſſim quod Naturæ Curioſi Academici in allegatione verborum *Caſp. Reies* ad obſervationem centeſimam & ſexageſimam de mola volatili à *D. Bartolino* communicatam non animadverterint manifeſtam contradictionem ſive naturæ repugnantiam, cum *devoratum animalium ſemen in utero contentum*, atque *ibi propter ineptitudinem & moram in peſſimam ſubſtantiam degenerans cauſam eſſe putet, ut apta ad horrendas animalium formas evadat*, quia quotieſcunque ſemen in peſſimam ſubſtantiam degenerat, omnem fæcunditatis energiam ſuam amittit, ex qua nulla ſive bona, ſive mala ſubſequetur generatio, nam dum ſemen humanum in utero corruptum omnem ſuam vim ſeminalem exuit, & prorſus emoritur, quomodo aliena ſemina in peregrino gremio corrupta germinare poterunt? Sed illa utpote à viva propria vitæ fontis ſcaturigine remota multo magis omnino illæſa & incorrupta eſſe deberent, ſi in alieno ſinu ſebolem excluderent.

Ex dictis quidem liquet, omnis generis inſectorum ova illibata virtute poſſe tranſire ventriculum, ut uvarum, ribeſiorumque acini, viamque lacteam ingredi, & cum ſanguine circulando poſſe tandem deponi in uteri humani latebras, in iiſque excludi, ſed major eſt dificultas

de

de ſemine ranarum, glirium, murium, viperarum ac ſerpentum aviumque, quomodo illa ſpermata ad ſacros uteri thalami receſſus transmitti queant, nam illæ rationes, quas dicti Naturæ curioſi loco citato ex *Idea Opeatrice Joh. Marci Marci* adferunt, mera verba ſunt nil ſolidi concludentia; *nihil*, inquit, *repugnat concipi & perfici aut piſcem, aut aliud animal ſive ejuſmodi ſemen coitu, ſive alia ratione ad uterum perveniat: poteſt enim forma piſcis aut animalis in eſſe illi parti, quæ à corpore in ſemen eliquatur, quia nimirum illius ſignaturæ nequeunt aboleri per illas mutationes, quibus in alimentum & ſanguinem excoquitur.* Vel maxime repugnat, primo piſces cum fœmina poſſe congredi; ſecundo formam piſcis aut animalis ineſſe illi parti, quæ à corpore in ſemen eliquatur, nam ſemen non ab una parte ſed ab omnibus deſumitur; tertio nullam humani corporis partem habere poſſe formam piſcis vel animalis, ſaltem de interna nullum eſt dubium, externa valde etiam difficilis eſt creditu, ſi tamen hic & nunc daretur ut externa hominis figura in orchide, illa non magis fœcunda foret quam humana figura ex orchide ſive ſatyrione præciſa & terræ mandata; ſed ad ſumnum ſemen talis corporis produceret ſobolem, quæ haberet partem in qua muris vel alterius animalis externa forma foret

ret conſpicua ut dictæ plantæ bulbus germinat integram herbam, cujus flores humanam figuram externam repræſentat. Quarto animalium piſciumque ſignaturas per dictas mutationes aboleri vel maxime, nam de externis quis ſanæ mentis ambiget; ſi per internam ſignaturam quis intelligat eſſentialem omnium partium corporis piſcis vel animalis formam compendioſe & ordinate per inviſibles ſeminis particulas in ſenſibili ſpermatis ſubſtantia expreſſam, ut aliter explicari nequit ipſi nullum ſuper eſſe poteſt dubium, quin inviſibilis illa machina per dictas mutationes in chylum & ſanguinem neceſſario deſtrui debeat, quandoquidem omnia alimenta dentibus attrita per inteſtinam in ventriculo fermentationem taliter deſtruuntur, ut ſolummodo illæ alimenti particulæ, quæ ad maximam tenuitatem ſunt reſolutæ, in formam chyli abeant, & in anguſtiſſima lacteorum oſcula continua inteſtinorum contractione imprimantur, reliquæ ut inutiles per corporis oſtia ſubducantur; in qua deſtructione nulla ratione eſſentiales animalium formæ taliter illæſæ concipi nequeunt, ut in priſtinum ſtatum reſurgere, vel ſimilem ſobolem progenerare valeant, cum in ovo

 cocto-

cocto imo ſolummodo manu concuſſo tota deſcripta pulli machina in tantum deſtruatur, ut numquam ex tali ovo pullus excludi poſſit.

Quinto conſiderandum, ſignaturas totius corporis animalium & piſcium non ſingulis partibus ſed ſolummodo ſemini ineſſe, adeoque non ex animalium piſciumque ſed illorum ſeminum comiſtione, ſi integris viribus ad uterum poſſent deferri, eorumdem generatio in utero fieri deberet. Ex dictis naturæ curioſi percipere poterunt, quid, ut in dicto Scholio cum Schenkio loquuntur, *prohibet, cum alimentis ſuperſtitem avium formam inſeri naturæ humanæ, nam avium formæ dudum deſtructæ ſunt*, cum homini in alimentum cedunt: Ut nobis manifeſtum fecit experientia in actum deducta occaſione cujuſdam matronæ, quæ anates abhorrebat, quia ipſi perſuaſum erat, quod anates ranas comederent, eorumque ſubſtantiam in eaſdem per putrefactionem reverti, qua anatem per plures ſeptimanas in putrefactionis illuvie ſervavimus, ſed nullas ranas, ſed vermium turmas, ut in omni carne deprehendimus, quorum ova ut cætera animalia cum oleribus deglutiunt; attamen fieri potuit, ut illa fama ſuborta ſit cujuſ-

cujuſdam anatis, qui ranarum ſpermata, vel earum recens excluſam ſobolem devoraverit, in cujus ventriculo & abdomine ranæ inventæ ſunt, dum immediate poſt paſtum putredini expoſitus fuerit, nam ranæ in anatum ventriculo digeſtæ, & in cordis officina in ſanguinem elaboratæ nunquam in ranas ſola putrefactione carnis anatinæ revertentur, nam ſic piſces in piſcibus reperiri, omnibus notum eſt adeo ut toto hoc ſcholio nulla detur ſatisfactio Excell. *D. Bartholino*, qui eos in literis his alloquitur verbis. *Vos Naturæ Amaſii ulterius in rem hanc inquirite.* Qualis inquiſitio non ejuſmodi Hiſtoriarum compilata farragine, ſimplicique Auctorum citatione citra ullam allatarum rationum examinationem peragitur, præcipue talium paradoxologorum, ut eſt *Jol. Marcus Marci*, qui in libro ſuo de *idea idearum operatrice* animam humanam fætui prius in ipſo partu vel immediate poſt partum infundi ſine ullius efficacis rationis additione docere audet. Me Hercule tam difficiles molarum animaliumque excluſionis non nam tam ruditer ſolvendi ſunt, quia nec à tali deciſione fæminarum honos dependet, ut ipſimet annotarunt Obſervatione XVII. de ſponſa ob ingravidationis ſuſpicionem propter ſingu-

larem abdominis molam a ſuo ſponſo derelicta, cujus innocentiam poſt mortem culter anatomicus detexit.

Quantum ad iconem molæ volatilis è Muſæo Illuſtris *D. Roſencranzii* à *D. Bartholino* transmiſſæ, dicimus primo nos plurimum fidei tantorum virorum teſtimoniis adhibere, credentes quidem illos talem vidiſſe molam, & audiviſſe, quod a muliere enixa ſit, attamen tam illuſtrium virorum pace mihi ſuſpecta eſt hiſtoria; primo quia non dantur aves quadrupedes; Secundo, quod in icone non apparent pennæ nec earum veſtigia, ergo non exacte refert avem; tertio quia Lemnianæ molæ aſſimilat, a qua tamen multum differt; Quarto quia nonnullas matronas molam hanc volatilem edidiſſe refert, quia nullis matronis nec obſtetricibus in ſimili caſu eſt adhibenda fides, nam ſimilia exempla a nullo Medico pro vero ſunt admittenda, niſi propria obſtetricante manu ex uteri latebris mola talis extracta ſit, nam mille fœminarum in tali caſu ſunt impoſturæ, præcipue in iſtis Septentrionalibus Regionibus, in quibus ſuperſtitio & credulitas in ſexu fœmineo dominatur; nam ſi talia portenta in ipſo excluſionis actu ad rigidum examen revocarentur, procul dubio cum

Augu-

Auguſtino Harmanno eadem verba quæ in ſectione fœminæ; quæ per alvum fila ſerica rubra, nigra, oſſicula varia, lapillos, ariſtas, ligna excreverat. Obſ. 171. *in inteſtinis & ventriculo nihil inveniebam, nec ullum incantationis veſtigium, quæſtio jam eſt an hæc fœmina fuerit incantata*, adderem potius, an medicum deceperit, quia pro apertione cadaveris magnum petebant pretium, qualem artem pauperiores æque in vivis exercent, ac poſt mortem ſuperſtites amici, nam rumoribus in tali materia à credulo fœmineo ſexu ſparſis cum maxima cautela eſt adhibenda fides; memini me ſimiliter a viro docto *Nicolao Hoboken* Secretarii Munere Legationis Ordinum uniti Belgii apud protectorem Angliæ Cromwellium fungentis, poſtea Medicinæ Profeſſoris meritiſſimi in Academia Groeningenſi perliteras Londino ad me datas deceptum fuiſſe, in quibus referebat in vicinia, in qua legatus divertebatur, habitare matronam, qnæ in foro emerat gallinam, quæ eodem vel ſecundo die poſt emptionem in ejus domo uno die tria excluderat ova, tantæ fæcunditatis admiratione rapta convocat vicinas, quæ curioſitatis gratia ova inſpicienda indicabant, quibus conſentiebat, & eccę in primo ovo rudimentum ranæ,

in ſecundo bufonis', in tertio baſiliſci manifeſte conſpiciebatur. His literis à me Doctiſſimo *D. Arnoldo Senguerdio* Philoſophiæ Profeſſori in illuſtri Amſtelodamenſium Athænæo primario, ipſe illo nuncio lætabundus, cum theſes de baſiliſco conſcribendo occupabatur, obnixe apud me inſtabat, ut mox reſponſorias & petitorias ad amicum tranſmitterem, quatenus figuram baſiliſci accurate delineatam remittere quam primum dignaretur; ſed reſponſum accepi, quod re bene examinata nil veri rumor per totum Londinum ſparſus contineret. Quapropter judicium noſtrum de hac mola volatili ſuſpendemus, donec major iſtius hiſtoriæ certitudo, & exactior caſus deſcriptio ad nos pervenerit.

Cum abundè ſupra probatum ſit, omnia animalia ex ſemine naſci, inquirendum reſtat, qua ratione ſemina ranarum, murium & glirium illibatis viribus ad uteri latebras deferri poſſint, nam cum iis congreſſus nullus eſt conceptibilis, judicamus mures & glires, quando unumquodque animal in ſuo ſexu ſe mutuo inſequitur, in farinam & frumenta poſſe effundere genituram, cujus ſeminalis virtus diu fœcunda manere poteſt, & facile in actum erumpit, quando opportunam matricem nanciſcitur, ut probatum fecit incredibilis eorum fœcunditas, qua breviſſimo tempore illorum numerus ita increſcit, ut integras provincias devaſtent; at-

atque ita cum pane comesto de novo in ventriculo separari à substantia farinacea, & cum chylo ad sanguinem deferri, & mediante illo exstillare per hiantia vascula in ipsum uterum ibique excludi possint, quia illa animalcula exiguo adminiculorum ad sui generationem apparatu indigent, nam quidam scriptis tradiderunt in quorundam murium utero, qui ipsi nondum exclusierant, tenellos mures apertos, ita ut tunc novam sobolem visceribus inclusam alant, antequam ipsimet sint enixi, quod impossibile non videtur, cum ovum ovo imprægnatum fuisse Recentiores observarerint: quod vero murium, ranarumque sperma sit talis naturæ, ut ejus vis prolifica non facile aliqua tempestatis injuria, aut aliarum causarum incursu suo effectu destituatur abunde istæ experientiæ demonstrant, qua cuilibet notum, quod ista animalcula gelido hiemis rigore torpida & sopita in superioris terræ cavernulis jaceant, & adventante Veris blanditie reviviscant, quod fieri non posset, si virtus seminalis plane in illis fuisset mortua; nam rationi apprime consentaneum est, quod illa vis animalis, quæ in efformando sui animalis domicilio magnum artificium aut multum requirit apparatum, non indigeat etiam subjecto multis dispositionibus elaborato, in quo ad tempus integra delitescere possit, quare etiam ista animalia di-

cuntur imperfectiora, quorum partes ad sui fabricam non tam operosa delineatione indigent, quibusque nec tot alterationum & concoctionum vicissitudines subeundæ sunt: attamen cum mures & similia animalcula non integram ad sui structuram pabulum semini suo elargiantur, ut illa quæ extra uterum per ova cortice tecta posteritatem suam relinquunt, nova exsurgit difficultas, quomodo placentæ uterinæ vel ejus analogi vascula uteri muliebris vasorum osculis implantabuntur ad sanguinem alimentosum in tenellum muris gliriumque fœtum transfundendum, cum inter illa vasa nulla sit proportio, atque sint animalia sanguifera, quæ ex sanguine semen conficiunt, idcirco ex sanguinea massa incepta corpuscula perficienda sunt, nam si statuamus sanguinem corruptum in utero adesse, ille erit coagulatus, quia ille extravasatus ilico concrescit & fluiditatis motu privatur, si in eadem forte massa aliqua fluida substantia remaneat, quæ erit causa impellens, per quam in umbilicalica murium gliriumve vasa illa infundantur, cum ille extravasatus sanguis extra sanguinis circulantis activitatis sphæram sit, & nulla detur in Rerum natura attractio, saltem in tenello muris gliriſve corculo, unde non satis admirari possum Naturæ Curoisorum oscitantiam, quod in dictæ observationis Scholio lectorem remittant ad *Salmuth*, ad majorem satisfactionem ab ejus argumentis comparandam,

quo-

quorum inefficaciam hujus Sæculi Medicinæ *Baccalaureus* adverteret, nam ex *Savanorola* ita loquitur. *Addit rationem, ſi in ventriculo & inteſtinis vermes gigni poſſunt, cur non & in utero alia animalia? Obſervatio 617. cent. prim.* At ſi alia animalia non majorem ad ſui generationem apparatum requirerent. Sed quæ quæſo comparatio ſordidæ inteſtinorum cloacæ cum nitidiſſima uteri area, in quâ nullæ impuritates deponuntur, ut eam merito Sanctum Sanctorum humani corporis appellare liceat, in quam cum majori reverentia nobiliſſima & candidiſſima humani corporis ſubſtantia deferri deberet; nam eſt amor actus dignitatis, non voluptatis, ut nomen uxoris eſt nomen gravitatis, & non levitatis: non enim ſanguis menſtruus hanc nitidam tranſit aream, ſuper vaſa lateralia in exteriori ejus & cervicis ſuperficie una cum aliis humoribus peregrinis, ſi ad mixti ſunt, extra corporis limites ſubducitur; imo ne ipſa ſeminis quidem ſubſtantia extra copulam, quæ forſan eſt ratio, quod ferventiori ſtilmulo ad mariti amplexum irritentur conjuges, & ſuaviſſimis tam amici certaminis ceremoniis proprium ſeminalem ſuccum excutiendo in nitidos uteri ſui thalamos, perfectiſſimum honeſtæ voluptatis ſenſenſum percipiant; imo ejus nitor in ipſa imprægnatione tam accurate obſervatur, ut fœtantem uterum cum gaudio merito contempletur, nam omnes humores cujuscunque ordinis ad

a ituram embryonis neceſſariis tam accurate propriis & diſtinctis continentur vaſculis & receptaculis, ut ne guttam in nitido areæ uterinæ pavimento, exſtillatam reperias; hoc artificioſum naturæ admirandæ ſpectaculum pelluſtrandi ſemel data fuit copia in muliere gravida immediate ante partum exſpirante, in cujus cadavere naturalem fœtus ſitum aqua innatantem, involucrisque concluſum tanta tranſparentia vidimus, ut omnes conſiderandas hujus operis circumſtantias perſpicue intueri potuerimus; quæ caſus raritas nos impulit ad accuratiſſimam ab optimo pictore delineationem faciendam, cujus figura Anatomæ Bidlonianæ communicata jam lucem videt: inteſtinorum vero tubulis a principio ad finem variorum ſordium illuviem invenimus, ab alimentis ſubactis relictam, quæ vario inſectorum ſemine cum cibo potuque ingeſto imprægnata varia diverſi generis animalcula producere nata eſt, ut docent eorum examina circa ruſticorum paludes in æſtate volitantia, eorumque ſaltantes ac repentes turmæ, quapropter optandum foret, quod Naturæ Curioſi forent magis curioſi ad veritatem abſtruſiorum caſuum non ex Auctoritatum pondere ſed ſanæ rationis & fidæ experientiæ promptuario eruendam: Nam quod feles dicantur ex eſu talium mumirum in rabiem agi ſatis arguit non fuiſſe veros mures, nam illi eorum deliciæ ſunt, &

cum

cum iſtæ aves implumes, mures ac glires calvi & nudi narrentur excluſi, potiori jure omnia iſta animalia humanorum abortuum ſpecies cenſendæ ſunt; nam cum indies obſervamus quod in tot millibus hominum myriadibus prima embryonum ſtamina & accreſcentia filamenta vix unquam ſibi tam accurate correſpondeant, ut in tanto numero raro duo vel tres omnino ſibi ſimiles & æquales non modo in coloribus ſed & in moribus inveniantur, quia vix in natura ob diverſas continuo occurrentes ſubſtantias impoſſibile videtur, quod minimæ particulæ genituræ humanæ, è quibus prima conficiuntur ſtamina, tam eodem accurate nexu, ſitu, ordine & magnitudine, omnes ita correſpondeant, ut omnes homines ſemper ſibi ſimillimi naſcantur, ſed cum illa diſpoſitarum particularum varietas maneat intra ſpeciei ſuæ ſolitudinis gradus, omnes tales fœtus ſub humana ſpecie comprehenduntur; veruntamen ex illa obvia & quotidiana varietate clare & diſtincte poſſumus percipere, quod ſi v. grat. aliquæ vel omnes iſtæ particulæ, quæ in embryone humanum deſcriberent caput, illæ magis in longitudinem magis acuminatam extendantur roſtri avium imaginem, vel in minus minuſve acuminatam, ut porci, canis aliorumve animalinm capitum effigiem exprimere, vel in latitudinem, aut planitiem nimiam complanentur, muris, glinem

felis, quæ vel alterius animalis capitis iconem repreſentare poſſe, & hic porro de cæteris humani fætus partibus, ſi hoc, inquam, diverſo tempore in diverſis partibus fieri poſſit, non repugnat, quod talis immutatio eodem tempore in omnibus partibus fiat, atque tali ratione abortus muribus aut gliribus ſimiles excludantur; ſed tales abortus non ſunt pejoris ominis, quam alii, quia ex eadem naturæ lege neceſſario procedunt, nam talis embryonum quoad externam formam immutatio rectius uni aut alteri poſt conceptionem congreſſui attribuenda eſt, quam imaginationi, non quod ſemen, per ſubſequentes amores effuſum aliquas conceptæ genituræ vel embryonis particulas ab ordinario loco debitoque ſitu obruendo dimoveat, quia tam mollis ſpermatis illapſus in illos tantam vim inferre non poteſt, ut aliquæ particulæ de ſua loci vel ſitus poſſeſſione deturbentur, nam brevi poſt conceptionem genitura membranis obducitur, ſed vehementiori corporis in amplexu concuſſione & agitatione, facile Talis diſproportionis in recto particularum ſitu & ordine caſus contingere poteſt in primis imprægnationis menſibus, quam erroneam in primis primæ ſeriei particularum lineolis diſpoſitionem ſecundæ ſeriei particulæ primis lineolis immediate incumbentes, & has tertiæ ſeriei inſequentes neceſſario vitioſam in illa

parte,

parte, cujus primi, ſecundi, vel tertii ordinis particulæ & lamellæ a recto ſui ſitu & loco illius commotionis receſſerunt, figuram introducunt, qualis agitationis motus in dictas embryonis particulas impreſſus ſufficit quidem ad confuſionem in externam alicujns partis figuram introducendam, ſed non eſt tantarum virium, ut intrinſecas minimarum particularum figuras aut magnitudinem partium corporis humani eſſentiales immutare valeat; quali periculo omnibus in gravidationis tempore embryo ex ſupranumeraria parentum conſuetudine obnoxius eſt, nam levis concuſſio in interioribus fætuum laribus excitata facile aliquam variationem accidentalem producere poteſt, & hæc forte eſt ratio, quare in brutorum genere non tanta detur individuorum ejuſdem ſpeciei differentia quod illorum fæminæ ſemel impletæa Venere abſtineant; qualem internam particularum concuſſionem imaginatio non æque efficatiter producere valet, quia illa, tantum externæ alicujus figuræ ideas per ſubtiliſſima globulorum vitalium corpuſcula leni motu tranſmittit, & ſi ex fortiori aliqua mentis commotione inordinatus humorum affluxus accedat, potius vitæ motus prorſus extinguetur, & abortus ſubſequetur, certe mirum eſt, quod ob frequentiores humani generis congreſſus jam facta conceptione, non crebriores talium abortuum ſpe-

cies excludantur, sed, quia Deus per benedictionem suam primævis nostris parentibus mutuum ad se continuo diligendos, prolesque progenerandas indidit amorem prudenter artificiosa structura uterum in medio tanquam in centro corporis fœminini, firmis ligamentis utrinque ilium ossibus alligatum, suspensum inter intestini & vesicæ cavitates mollibus solidorum ac fluidorum excrementorum tomentis suffultas tanquam inter duo propugnacula, offispubis & sacri linea anterius de scriptâ creavit, ut omnis vis, tam a supranumerariis amantium compressionibus quam ab aliis causis externis illata in dictis propugnaculis illideretur & suffocaretur, ne in concepto embryone tam facile partium ordo & situs turbari possit.

Ut ad propositum, a quo paululum digressimus, revertamur, sciendum est, insectorum aliorumque animalculorum semina non solum cum esculentis sed etiam cum poculentis deglutiri posse, nam sicuti spermatis ranarum seminalis virtus in ipsis aquis in corrupta manet idem de murium gliriumque probabile videtur, quia aliquo modo ad amphibiorum naturam accedunt, sed major difficultas est de semine serpentum, quæ ova satis magna pariunt, & cum dolore, ut Annotat *Georgius Segerus Obs:* III in Nature Curiosorum collegio anni secundi; adeo ut merito

rito Historiæ fæminæ, cujus meminit *Caspar Bauhinus*, puerulum cum duobus serpentibus epixæ, suspecta habenda sit, quia narrat, quod fæmina de causa tam insoliti partus examinata responderit, se suspicari quod ex scaturigine fontis in sylvula Bruder Holtz aquam spermate serpentum imprægnatam biberit, quia talia ova non tam insensibiliter aquis immisceri possunt, ut nulla eorum vestigia videantur, nec in sorbendo animadvertantur, præcipue illæsa fæcunditatis virtute, ubi omnia ova manu ultrocitroque concussa per delineatæ pulli structuræ destructioni ad exclusionem inepta reddantur, qua propter non possumus accedere ad illos, qui, ut conceptas defendant opiniones, potius ad verbum quam ad verum calamos dirigunt: nam ex ovis infectorum etiam abjectissimorum, si distringantur, nulla sit fætura; multo minus ex majorum animalculorum ut avum vel aliorum animalium, ovis, que sine ruptura non devorari, & eo minus integra vasorum lacteorum angustissima oscula subire possunt, Veruntamen facilius creditu, quod, si quid veri subsit in Auctorum Historiis, ex eo originem traxisse, quod quædam seminis particulæ in prima embryonis delineatione ab interno earum motu per vim externam impresso, a recto debitoque situ in externam partis cujusdam peregrini animalis figuram translatæ

sunt, non enim Deus vult, ut stultissimus, & assentiamur credûlarum mulierum relationibus, quæ rectæ rationi, id est unicæ in hoc Rerum universo Dei imagini repugnant, unde Medicum Philosophum non decet cum apparenti rationis specie assuescere talibus affectibus, qui Rationem & cum ea Dei idæam in nobis destruunt. Hæc dicta Deum infinita sua potentia infinities pro suo arbitrio communem naturæ ordinem posse invertere, causasque naturales ita disponere, ut effectus a natura sua diversissimos producant, quorum effectuorum causæ non sunt istæ concurrentes causæ naturales, sed solus ipse Deus illas insolito modo movens & inpellens Quapropter tales Historiæ quas *Obs: LV. Lud: Hannemam* de serpentis cum fætu, & canis viri beneformati & secundinis in Scholio ex Annotatione *Joh: Stalpart vander Wiel* exclusione Anni 1677. Hagæ commitis ex mera obstetricum relatione refert, potius extraordinariæ irati numinis voluntati attribuendæ sunt, quam incertæ seminis humani per microscopium, contemplationi, qua diversissimorum animalium myriades repentes viderie sibi imaginantur, eadem veritate, qua Rustici ex nubium, pueri ex ignis defixa inspectione quævis animalia in illis cenere sibi persuadent præcipue cum dicta observatio Justam Divini Numinis vindictam concitandam contineat, quia

quia uxorem invitam ad præpoſteram Venerem cum maledicto propoſito, ſe procreationi canis omnem operam daturum minitando & verberando ſepe coegerat; nam imbecille eſt fulcrum ab incolarum Madagaſcar cadaveribus deſumptum, in quibus dicuntur locuſtæ, quibus ut ordinario veſcuntur alimento, regenerari; nam eadem ratione in noſtratium cadaveribus piſces, boves & oves regeneratæ indies conſpici deberent; præterquam quod ſit infidum experimentum, ex vermium vel locuſtarum præſentia in cadaveribus concludere, quod illæ ex iiſdem generatæ fuerint, quia potuerunt ex terræ vel aeris vicinia ad lautiores has epulas turmatim confluxiſſe, deinde, cum ibidem ordinarium ſit incolarum pabulum, Madagaſcarum Regio proculdubio locuſtarum erit fertiliſſima, quorum ova per aerem ventorum vi delata ut in cæmiteria delabentia opportuniorem quam in aliis locis matricem nanciſcantur, ut eo felicius eorum vis ſeminalis in actum erumpat, eodem ferme modo quo mihi ab Hiſpanis fide dignis narratum eſt, in quibuſdam Hiſpanie tractibus certa anni tempeſtate certo que flante vento, ſi ſubſequatur pluvia, cum ejuſdem guttis tenellula ranarum rudimenta confertim e cælo decidere; ſimilis ratio militat in quibuſdam meridionalibus Hiſpaniæ Regionibus de fæminis iſtius tractus,

quæ vivens insectum una cum fœtu ordinarie excludunt, cujus vitæ primordia, si vera sit Historia, ex ejus ovis certis herbarum foliis aspersis, quibus pro oleribusutuntur, & incogitanter deglutiendo sibi seminale ejusmodi bestiolæ principium concipiunt, vel quod ova per aera volitantia in uterum impellantur eo modo quo vermes in Genea dicuntur generari in tibiis exterorum, antequam aeris istius inclementiæ assueverunt, quos gorgillo revolvendo tanquam filia cum maxima cautela educere debent, ne aliqua portio corpori infixa maneat, quæ lethalem ipsis morbum minatur sed nimia horum vermium ut & locustarum est distantia a canibus, quorum character idæalis nullo modo per phantasiam semini humano imprimi potest nam licet in semen omnium rerum, quibus vescimur, character idæalis imprimatur, Historia tamen non refert, quod ista fæmina Hagiensis carne canina usa fuerit, sed ad scribitur soli phantasiæ, quæ quidem vires embryonem exterius sigillandi, habet, sed non in aliam prorsus naturam immutandi, ut apud omnes Philosophos in confesso est; deinde nulla veritate innitur illa sententia, quæ statuit characterem idæalem nulla mutatione obliterari posse, quia illa est substantia quædam corporea quantumvis exigua, cujus natura destrui potest, nam ille character idæales nil

aliud

aliud esse potest, quam compendiosa istius corporis, cujus est character, delineatio in tali materia, quæ apta ad sui nutrimentum casu quo ejusarchens ab aliqua causa in actum deducitur, & consequenter substantia corporea, quæ diversas habet particulas, quæ particulæ in nullo charactere seminis idæali tam firmum habent nexum, ut omnem omnium causarum tam naturalium quam artificialium activitatem superent; nam rusticis & hortulanis notum est, characterem idæalem frumentorum & herbarum, annorum decursu prorsus extingui; concedimus quidem in semine humano dari substantias heterogeneas, quæ necessario adesse debent pro diversitate partium corporis humani, sed non tales, quæ in se diversi animalis seminium complectuntur, & sane præstat fateri nobis aquam hærere in explicandis tam sensibilium, ut sunt canum, serpentium, felium exclusiones, effectuum causis, quam ad non intelligibiles terminos confugere, quia Archæi & characteris idæalis termini sunt obscuriores rerum earumque causis, quas perillos illustrare conamur, nisi per sanioris Philosophiæ principia interpretentur: Quapropter cum verbis Aristotelis Probl: sect IV. §. 13. concludimus, *Quod ex semine nostro prodiit, idex nostro est; quod secus ex alieno.*

CON-

CONCLUSIO, nulli leones, elefantes, canes, feles, aliaque animalcula quæ intra uterum pariunt, ex gemitura humana nulla putrefactionis aut corruptionis ſpecie, aut ullis imagninantium matrum viribus in utero muliebri generari: poſſunt; illa vero animalcula & inſecta, quorum virtus ſeminalis in ovis diu incorrupta deliteſcere poteſt, ſi illa indigeſta ventriculi actionem ſuſtinuerint, & vaſorum lacteorum oſcula, cordiſque thalamos cum ſanguine circulante perhiantia vaſorum ut erinorum orificia integris viribus in matricis ſinum deponantur, vel quod muſcæ, aliave inſecta in fœminarum ſub dio dormientium uterum exterius ingreſſa ejus interiores parietes oris ſuis aſperſerunt, ibidem excludi poſſunt.

CA-

CAPUT. XXVI.

An ex ſemine maſculino in brutæ alicujus fœmellæ uterum injecto homo, vel ſimule animal aut aliquod tertium generaretur.

VAriorum fide dignorum annales nobis credulis non modo obtrudunt, ſed perſuadere conantur, formoſiſſimas puellas quandoque ex equabus & aſinabus fuiſſe excluſas. Hujus deteſtandæ ſceleratorum hominum & brutarum commixionis exemplum refert fortun. *Licet lib. 2. de monſt: Cap. 68.* in hoc ipſo Belgio fuit nefarius qnidam, qui vaccæ ſe commiſcuit. Poſt viſa bos prægnans & poſt aliquot menſes edere maſculium fœtum non vitulum, ſed puerum. Adfuere non unus qui de matriſe vaccæ cadentem adſpexerunt. Adolevit puer baptizatus, & inſtitutus Chriſtianæ vitæ præceptis pietati ſe adixit, & pro patre ſerio pœnitentiæ vacat operibus. Homo quidem perfectus, ſed qui ſentiat in animo propenſiones vaccinas paſcendi prata, & herbas ruminandi.

Georg: Schenckius in monſtrorum Hiſtoria ſic loquitur. Anno 1597. in Burgot Hiſpaniæ loco, Vacca marem & fœminam, humanos fœtus, ſuis membris appoſite formatos & diſtinctos enixa proditur, uti aliquoties ad nos Venetia præſcriptum eſt: quæ res omnibus & ſtupori & metui erat maximo. Hos ad ſacri fontis characterem nullo modo admittere voluit ejus loci Archiepiſcopus.

Similem Hiſtoriam refert *Riolanus* de quodam nebulone Germano, qui ex vacca formoſum genuerit filium, qui pietati omnio addictus ad expiationem ortus ſui vixit.

Bartholinus Cent: 5. *Hiſt.* 87. mentionem facit puellæ ex cane genitæ; nos ex relatione aliorum accepimus, in patria montenſi ex belluina copula puerum fuiſſe productum. Merito tales Hiſtorias recenſeremus inter illos effectus, qui ex nimia credulitate emergunt, ſed tam gravium virorum auctoritas ipſis veriſimulitudinem creat, unde non reiiciendæ ſunt niſi prius ad rectæ rationis lancem ponderentur Miror excellentiſſimnm D. Bartholinum tam inſolitam puella generationem ex aljorum relatione ſuis obſervationibus inſeruiſſe, cum ille ſententiam de ovis humanis ut probabiliorem videtur amplecti, quæ ejuſmodi inſolitis generationibus impoſſibilitatem imponit, nam cum ovum docente *Harvæo* non aliunde procedat quam a fœmina, ac in ipſo totius animalis compendium contineatur. non poteſt aliud animal ex illo ovo produci quam quod in eo delineatum eſt, etiamſi aſperſione peregrini ſeminis maſculini, irroretur; quia ſeminis maſculini particulæ fermentativæ juxta illam ſententiam ſolummodo particulas ovi rore fœcunditatis imbuunt, eaſque primo actuando primitivum vitæ motum afferunt, & non de novo particulas in ovo delineatas peregrinis figuris deſcribunt; & ſi ſemper aliquod tertium ut in comixione equi cum aſina, generaretur, ſententia de generatione animalium ex ovis naufragium facit, nam tunc ſemen

men masculinum æque materiam ac fœmininum generando fœtui contribuit. Sed quia longe major est discrepantia inter hominem & brutum quam inter brutum & brutum præcipuæ ejusdem generis, valde mihi dubium est, an semen vel ovum alicujumines vaccæ a sevirili ad generationem actuari possit, nam experientia non docet quod ova bipedum virtute seminis masculini quadrupedum fœcundentur, licet fœmellæ aliena ova æque ac suâ excludant, avium species equidem in sua specie determinatæ propagantur, quamvis ratione incubantis caloris in motu & actionibus parum quandoque varient.

Ut autem cuivis major de generatione fœtus humaniex vacca vel cane difficultas appareat bene considerandæ sunt generationum loca, quæ non sunt uterorum cavitates, sed materia illa, quæ sua superficie immediate tangit superficiem geniture in utero conceptæ, quæ cedit in nutrimentum & incrementum futuri embryonis, adeoque semen humanum, si proiiciatur in talem matricem, quæ non gaudet omnibus ad sui germinationem requisitis causis concurrentibus, in actum deduci nequit, nam non solum vaccini uteri substantia ac figura multum differt ab utero humano, sed etiam aquæ, quæ intra amnii continentur cavitatem, a se mutuo diversis qualitatibus distant, eodem modo quo sanguis humanus a vaccino discrepat. Siclocus in qno producitur planta, est illla similis materia, intra quam plantula delineatur, locus in quo crescit planta, est tota illa materia, quæ sua superficie immediate contingit totam superfi-

ciem plantæ, composita externa, & aere & aqua, ita locus, in quo generatur embryo, est similis illa materia, intra quam delineatus est fœtulus, locus vero, ubi prima incrementa animalis fiunt, est partim contigua illa aqua amnii, partim continua vasa illa umbilicalia per chorion diffusa, inter quæ omnia cum maxima in uteto muliebri ac vaccæ differentia, evidens est, juxta naturæ leges semen humanum in peregrino Vaccæ utero in actum deduci non posse, præcipue ubi etiam deest primarium vitæ principium, quod est Spirituum in copula maris & fœminæ transfusio, qui debent esse necessario ejusdem ordinis seriei, & generis, siparietes particularum seminis tam arcte ad se mutuo impellere valeant, & tam angustos in meditullio genituræ conceptæ reddere poros, ut in illis sola subtilissima materia relicta ignem quasi vitæ accendat, quæ particulas seminis sanguinis idæam referentes varia sui agitatione caloriſque sui proportionati quasi fusione quadam in sanguinem fluidum fundunt, & convertunt, quæ est primæva corporis humani genitalis particula, sine qua nulla generatio exspectanda est; aut ullum genesis exordium sperandum est, nam sine tali motu nulla seminis energia in actum deduci potest, quapropter si *Paulus Zachias* non solum externam succi seminalis crassitiem, sed intrinsecas minimarum seminis particularum figuras earumque formas contemplatus fuisset, inveniſſet medium, quod generandi efficaciam seminum diversorum specie animalium necessario tolleret & cum *Aristotele* & *Galeno* aliisque Classicis, tam

tam Veteribus quam Recentioribus ſcriptoribus judicaſſet, ex talium ſeminum commixtione, quæ ab animalibus tantopere inſter ſe, ut homo, & vacca vel canis, diſcrepantibus effuſa ſunt, impoſſibilem eſſe aliqualem generationem; nam illæ intrinſecæ minimarum particularum figuræ adeo irregulares, & diſproportionatæ ſunt, ut illæ non poſſint tam arcte uniri & conjungi illorumque poros tam anguſtari, quod ſecluſa omni aliena materia, ſubtiliſſima in illis ſola relinquatur, in hac regulari & arcta minimarum particularum ſeminum ſecundum figuras & ordinem diſlocatione conſiſtit deeantata ab auctoribus ſeminum tota cum tota commixtio, in qua, ſi minima ſeminum utriuſque ſexus particulæ, ex iiſque compoſitæ lamellæ in actu amoris non ad tam ſtrictam adhæſionem proximamque combinationem & jnxtapoſitionem redigantur, ut tantum modo ſpatiola pro ſubtiliſſima univerſi materia circa ſe relinquant, nulla omnino ſubſequetur generatio, quæ coarctata porulorum anguſtatio cum in ſemine humano & belluino ob nimium irregulares minimarum ſeminum particularum figuras, & anguloſas prominentias fieri nequeat, eſt cauſa intrinſeca talem generationem impediens, quæ rei poſſibilitatem adimit; unde illas hominum cum brutis mixturas, ex quibus minotauros, ſphinges, Ægipanes & Centauros ortos fuiſſe volunt, merito Poëtarum commentis annumeramus quorum impoſſibilitatem ipſe Poëta Venuſinus *Lib.* 4. *Eleg.* 7. eleganter decantat; imo ipſe Plutarchus, qui *in Lib*: III. *Tit*: *quod Bruta utant*: *ratione* non

ſolum promiſcuam hominis cum Capris, ſuibus & equabus commixionem concedit, ſed etiam ex Ariſtotele Virginis *Oſnocelis* Hiſtoriam enarrat, quam ſpecie venuſtiſſimam *Ariſtonis Epheſii Demoſtrati* filius ex aſina cui ſemimiſcuerat, progenuit; ac mentionem facit de *fulvio ſtella*, quem equam comprimentim Hipponam formoſiſſimam puellam tuliſſe narrat, attamen *in libello*, *quod non oporteat fœnerari* tales generationes in impoſſibilium catalogum redigit, *minime*, ajens, *uſurariorum genus peſſimum inveniretur*, *qnemadmodum neque Centaura neque Gorgones*. Adeo ut nullo modo piaculum ſit, harum Hiſtoriarum veritatem ſuſpectam declarare; licet innumeri ex Recentioribus ſuos calculos adiiciant, quia illi *Hippocrates*, *Galeni* & *Ariſtoteles* effata non recto ſenſu interprætati fuerunt, & in meris caliditatis & frigiditatis, craſſitiei, ſiccitatis hæſerunt terminis; non explicando, quam accurate & exactæ ſingulæ ſeminis utriuſque ſexus particulæ earumque lamellæ in figura, ſitu & ordine correſpondere debeant, antequam in illis calor naturalis producatur, quem omnis generationis auctorum nobiſcum aſſerunt; qui non eſt perfectior in humano quam brutorum ſemine, ſed ſubſtantiæ diſſimilitudo impedit, quo minus, ſi commiſceantur, in illis genitalis efferveſcentiæ motus ſive calor excitari, multo minus conſervari poſſit; quapropter veriſſima eſt Galeni oratio, qua generationem ex ſeminibus ſpeciæ differentium animalium impoſſibilem judicat, quia ſemen principium ſui motus non exercet in diverſas ſpecies, cujus contrarium non evincitur

ex

ex commixtione Equi & asinæ, per quam generantur muli, quia equus & asinus, hircus & ovis & ejusmodi non sunt animalia specie stricte dicta differentia, de qua hæc Galeni maxima est intelligenda, ideoque Aristoteles recte requirit in generatione diversorum animalium, quod eorum naturæ non multum distent, quapropter generationes hominum ex vaccis aut equabus, vel asinabus æque fabulas sapiunt, ac illæ, quæ de homine cum avibus, aut piscibus commixto, referuntur; nam si consideremus in semine humano juxta Hippocratem, Recentiones & naturæ veritatem totius hominis, in vaccino vaccæ vel bovis, in equino equæ, in asinino asini, in canino canis compendium omniumque partium delineationem contineri, qua ratione mens sana poterit fieri tam credula, ut apertis mendaciis assensum præbeat, nam ex talium seminum commixtione necessariæ singulorum animalium delineationes se mutuo delebunt, in quo consistit Galenica seminum ammalium specie differentium corruptio. Hac manifesta rationis evidentia graviores Viri convicti confugiunt ad diaboli effascinationes, quibus bovem ut prægnantem puerumque enitentem ad stantibus apparere facit, sed potius meo judicio ad Deum confugrendum erit, si auctoritatem virorum gravium tales Historias referentium conservare velimus, nam ille solus infinita sua potentia ordinarium naturæ cursum variis immutare potest modis, & ex vacca puerum, & cane puellam suscitare, ut ex talium prodigiosorum partuum aspectu & rumore deperditorum

rum hominum extrema laſcivia gliſcentium abominationes abominentur, & divinæ humanęque Vindicis legis timor mortalium cordibus incutiatur, ne crebrius in tam horrendas commixtiones ruant. Quę ſeminum corruptio non locum habet in equo & aſino, hirco & ove, cane & vulpe, quia illa animalia non tanto perfectionis differunt gradu, quod eorum ſeminalium particularum figuræ ſe mutuo neceſſario deſtruant, ſed ſolum modo immutent, ut ex illorum combinatione aliquod tertium naſcatur, eodem modo quo ex europæo & Æthiopiſſa ab utroque diſtincta proles generatur.

CONCLUSIO, ex ſemine humano in uterum femellæ brutæ injecto generatio non ſolum ex cauſis concurrentibus, ſed ex intrinſeca ſeminum natura eſt juxta ordinarium naturæ curſum impoſſibilis.

CAPUT *XVII.*

An ex ſemine belluino in uterum muliebrem injecto brutum, aut aliquod, tertium generari poſſit.

BIni Upſalenſes Epiſcopi *Ioannes & Olaus Magnus* cum *Saxone Grammatico* referunt in Suetia puellam ab urſo raptam, & conſtupratam ferino concubitu geſtaſſe utero, & maſculum infantem piloſum membris humanis partu edidiſſe: qui adoleſcens ex accept

cepta uxore filium genuit, nomiæ **Tregellum** Spiachalogia quo Ulfo genitus eſt Suenonis, Danorum Regis Pater. Similiter Attilam Hunnorum Regem ex cane, qui impleverat mulierem, originem ducere multi pertinaciter volunt. Ejuſmodi natalitia adſcribunt Peguſianis & Sianitis Indiæ Gentibus. Talium rerum ſcriptores Hiſtoriis ſuis videntur velle complere vaticinium Apoſtoli **2.** *Theſſ.* **11.** *Minantis efficiam erroris immittendam a Deo, ut credamus mendacio.* In quo defendendo mire ſeſe literatorum ingenia torquent, id unice ſibi perſuadentes, quod in myſterio generationis Natura ſeſe ceræ inſtar ad imaginarium ſuæ ſubtilitatis acumen flectere deberet; verum enimvero, quia in hoc caſu eædem rationes, per quos in præcedentibus Eiuſmodi generationis impoſſibilitas evidenter & abunde ſatis demonſtrata fuit, potiori jure militant huic nodo diſſolvendo non diu inhærebimus, nam ſi virtus maſculina ſeminis humani, animalis omnium utique perfectiſſimi, non poſſit ſemen vaccæ vel aſinæ in actum deducere, ut naſcatur ejus aſperſione vacca vel aſina, multo minus poterit vis ſeminis belluini maſculina ſemen mullebre excitare ad generationem fætus humani, quia in omni cujuſcunque ſpeciei animalium generatione ante omnia quædam ſeminis particulæ in ſanguinem reverti debent, cujus beneficio reliquæ delineatæ partes actuantur & increſcunt quæ ſeminis in ſanguinem trans & reformatio fieri nequit ſine intercurrente certa fermentationis & eſt efferveſcentiæ agitatione, cu-

jus natura æque imo magis in actu generationis determinatæ materiæ certisque particulis fermentativis est adstricta, ac in omni alio humore fermentabili, in quo si vel minimus committetur error, mox omnis fermentationis motus perit quapropter extra omne dubium est, quod seminis particulæ in sanguinem revertendo illam metamorphosin subire nequeant sine appropriatis & specilicis particulis fermentativis, quæ illas in sanguinem refundunt. quæ specificæ particulæ fermentativæ in nullo animali dantur, quam in semine proprio utriusque sexus, adeo ut seminalis materia quam fæmina confert, efficaciam naturaliter habere nequaquam possit, quam a virtute seminis propry maris, & nec masculina virtus utaliam quam propriæ fæminæ materiam vires suas prodere valeat, id est spiritus, qui in sæmineo deliteſcit semine, a nulla alia causa naturali quam a proprio mare in actum susceitari potest, nec spiritus, qui in masculina excellit semine, activitatem suam non in alio quam seminali propriæ fæminæ succo exercere potest, unde recte *Helmontius* docet, quod fermenta sint dona specifica naturæ vitalis; nam dum infelix sanguinis tranfusionis eventus docuit, sanguinem belluinem non esse compatibilem cum sanguine humano, nec ullan in de produci nutritionem, multo minus aliqua generatio exspectanda est ex semine utriusque, quæ ut substantiæ multo teneriores minus se mutuo compatiuntur quapropter recte concIndimus utriusque semen in se proprium

prium habere menſtruum, quo illæ ſeminis particulæ, quæ ſanguinis adoriam complectuntur, utpote ad motum aptiores, præcipetantur, ſive comitantur ad centrum bullæ criſtallinæ, in qua totius hominis deſineatio continetur, ibidemque ad ſanguinis naturam redeunt, ut vitæ motus in mutuo amantium complexu eo quo explicuimus modo genituræ impreſſus conſervetur & promoveatur.

CONCLUSIO. *Nulla animalium perfectiorum ſemina in utero muliebri virtem plaſmaticam exercere poſſunt.*

CAPUT. XXVIII.

An mulier molam utero gerens iiſdem gaudeat privilegiis ab prægnans.

ÆQuum fuit, ut prægnantes ex legum indulgentia quibuſdam gundeant privilegiis tam ad ſolatium matrum propter incommoda, quæ tempore ingravidationis partus ſufferre debent, quam ut admiranda corporis humani architectura in utero matris concepta ſine ullo perieulo offenſionis ad juſtam perfectionem perducatur, nam multum intereſt, *bene eſſe natum*, idque dictante ſupremo Rerum Moderatore apud Apoſtolum, *mater ſalva fiet propter generationem filiorum*, id circo ſunt removenda omnia, quæ

quæ juſtam habent ſuſpicionem fætum aliquo modo alterandi, ratione cujus præcipuam miſericordiam habuerunt leges, quæ prærogativæ non tam arctis limitibus ſunt circumſcribendæ, ut ſolummodo complectantur infames fæminas, quæ torturam, ſupplicium aliamve inlignem corporalem pœnam meruetunt, ſed etiam extendenda ſunt ad honeſtis ſimas Matronas, quæ ab obligatione quarundam legum tam Eccleſiaſticarum quam civilium abſolvendæ ſunt, præcipuæ illæ quibus ingravidationis tempore vita ſicut maritas immatura morte eripitur; verum, cum quibuſdam Caſuiſtus trahatur in dubium, an fæminæ, quæ molas utero concluſas gerunt, eadem privilegia concredenda ſint, motiva obquæ prægnatibus ſunt elargitas recte conſiderando ſunt, quæ non ſolummodo eſt fætus concepti, ab omni noxa præſervatio, ſed etiam ſunt incommoda & moleriæ, quæ ordinarie cocomitantur ingravidationem, quapropter non opacter rigoroſius indilgentiorum liges Interpretari circa Molaticas, cum illa ſemper deterioribus torqueantur ſymptomatis, quæ propriam ſonitatem certius & efficacius infringuut, quam prægnantium accidentia; candemque habeant cauſum, legitimum vel illegitinum Veneris uſum; nam mulieres abſque maris copula molas concipere non poſſe, in antedictis ab unde demonſtratum eſt, quæpropter iſte generationis error non earum ſit culpa, ſed defertu quarundam cauſarim concurrentium, quæ non earum vel mantorum ſubjacent imperio, iduco molaticæ magis con-

condolendæ ſunt, quod ex debito conjugali mendoſum contrahant conceptum, qui graviora ac diuturniora ipſis parit incommodo, quam verus fætus, quare nullam videmus rationem, cur non iiſdem fruerentur legum indultis, cum illa non tantum pro ratione concepti fætus, quam pro ſublevatione & præſervatione moleſtiarum, quæ vi conceptionis patiuntur fæminæ, a legum latoribus conceſſæ ſunt, illa molaticis ad pejora ſymptomata mitiganda & propriam, & ſæpe adjuncti embryonis ſanitatem denegarentur. *Concluſio mulier, quæ molam generationis utitro geriz concluſam, iiſdem legum indulgentiis ac vere gravida gaudet.*

CAPUT. XXIX.

An judicium Oſtetricum & Chirurgorum ſufficiat ad diſcernendam molam, ut abſolventur ab obligatione legis Divinæ vel humanæ.

QUam obſcura molarum ſint ſigna diagnoſtica, & quam intricata res ſit, earum naturas perſcrutari, & molas nutritionis diſtinguere ab illis, quæ generationi ortum debent, ſuperius demonſtravimus, hinc merito judicium reaverentur viri per-

perſpicatioris, & in materia Philoſophica æque ac medica verſati, quarum ſcientiarum temerariæ & garrulæ obſtetrices ignarę ſunt quæ ordinarie illotis manibus ad lucinæ ſacra accedunt, & quia generationis myſteria earum ſuperat captum id unice intendunt, ut opiniones, quas mulieres de molis dubiæ de ſuo ſtatu alunt, multis narrationum ambagibus confirment, ut videantur ea in remquam profitentur, intelligentis; Ejuſdem ponderis ſunt teſtimonia Chirurgorum, præcipue illorum, qui ſimul barbitonſuram expercent, qui cum leviter lectione alicujus medicinę Chirurgię interprætantis ſunt aſperſi, adeo ſuperbiunt ut medicis qui ſunt eorum manuductores & examinatores, inſultare audeant etiam in caſibus qui extra eorum forum ſunt; nam Deus eorum corda excæcat propter ingratitudinem quam medicis eos docentibus præſtant, ut ſæpe ſunt in arte ſua talpa cæciores, quare his utpote non ſufficienti rerum phyſicarum & medicarum peritia inſtructis nulla eſt ad hibenda fides, præcipue cum fæminæ, ut iſtis fruerentur privilegiis, ufteri morbos ſæpe ſimulent, ad quam frandem detegendam docente Galeno exactiori quam obſtetricis vel Chirurgi judicio opus eſt, a quibus utpote minus intelligentibus & facile corruptibilibus fæminæ citius impetrabunt teſtimonia, quam a cordatis medicis adeoque Paſtor vel judex non poteſt abſolvere fæminas tales per dicta obſtetricis vel cheicurgorum teſtimonia ab obligatione legum, quibus aliastenerentur.

CON-

CONCLUSIO, judicium obſtetricum & Chirurgorum non ſufficit ad abſolvendas fœminas quæ dicuntur Molas geſtare utero ab obligatione legis Divinæ vel Humanæ.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM

Præcipue memorabilium in hoc opere contentarum.

A.

Abortus 30. vel 40. dierum magnitudine formicæ. 111

Abortus 8. Septimanarum diſtinctam omnium membrorum delineationem habet. 109

Accubitu ſimplici an Virgo vel vidua poſſit concipere molam. 181

Æthiopis aſpectu perterrita concolorem parit prolem. 178

Agentia naturalia ad præſentiam requiſitorum neceſſario agunt. 174

Agobordi de potentia Veneficorum ſententia. 16

Alemariana virgo ab agyrta deluſa. 277

Angeli an habeant infuſam, an vero anquiſitam ſcientiam. 194

- - - *Quando creati inter patres haud convenit.* 196

- - - *Dati ſunt ad hominis tutelam.* 198

- - - *Non poſſunt implere ſuum miniſterium abſque corpore.* 201

- - - *Quare ſedent in conſpectu unius & non alterius.* 210

- - - *In apparitionibus eorum magna opus prudentia.* 243

Amor insanus spirituum de terminationi potius, quam Phyltris adscribendus. 254
Amuletum plus quam ridiculum. 232
Animalia & insecta an ex semine humano in utero muliebri generari possint. 271
Annæ imperatricis obitus. 281
Anticipationes & posticipationes in partu humano unde. 134
Aquæ Benedictæ duplex usus. 220
Aristoteles masculè defenditur. 260
Ars imitatur naturam. 32
Auctoritatibus solis haud pugnandum. 9
Audacia Circumforanei incredibilis. 279

B.

Balnei virtute an virgo vel vidua possit concipere molam. 181
--- *Aristotelis Alverrhois, aliorumque, sententia.* 182
Benivæ mirabilis conceptus. 186
Bovis danici Cerebrum in substantiam petrosam Conversum. 106
Bruta an etiam molis obnoxia. 258
--- *Cur molæ in iis minus frequentes.* Ibid.
Bryoniæ Stupenda figura. 132

C.

Calor solus non generat carnem. 157
Canis ab uxore Calcographi enixus. 272
Carbones per urinam excreti. 239
Caro in generatione non præexistit formaliter, sed Virtualiter. 107
Cartesii de creatione sententia. 29
Causa molarum proxima. 113

- - - *Prima, defectus particularum ad Cordis fabricam neceſſariarum.* Ibid.
- - - *Secunda, virtutis ſeminalis abſentia.* 114
- - - *Tertia, prava particularum ſituatio.* 116
- - - *Quarta, violenta earum eidem compreſſio.* 117
Cautela in operatione Chyrurgica adhibenda. 152
Cicatrix cur in utero diſſecto non inveniatur. Ibid.
Coitus ore peractus. 127
Color rubeus non eſt ſanguini eſſentialis. 97
Conceptus in viviparis an fieri poſſit abſque maris & fœminæ concurſu. 167
- - - *In conceptione quinam motus conſiderandi.* 166
Congreſſus ſagarum cum diabolo frigidus & doloroſus. 220
Cor totius naturæ eſt principium. 113
- - - *Ejus munia quædam explicantur.* 92
Crucius refutatur. 19
Curatio molarum quomodo inſtituenda 150

D.

Delineatio omnis in ſemine contenta. 45
Deus & natura ſemper geometriæ ant. 29
Debitum conjugale qui non ſolvit Civiliter mortuus eſt. 252
Delphenſis mulier ſymptomata prodioſa aſtu ſimulans. 275
Deus tanti non facit diabolum, ut in ejus gratiam ordinem naturæ invertat. 253
Diabolus in veritate non ſtetit. 199
- - - *Non poteſt invertere ordinem naturæ.* 192
- - - *Non poteſt agere in inſtanti.* 193
- - - *Non poteſt corpus de extremo tranſferre ad extremum, non tranſmiſſo medio.* Ibid.
- - - *Non poteſt tollere connexionem magni vel parvi mundi.* Ibid.

- - - *An possit viribus sibi congenitis fœcundi conjugis explere munus.* 195
- - - *An assumat corpora humana violenta morte extincta.* 204
- - - *Non superat hominem in supplendis requisitorum defectibus.* 191
- - - *An possit virgini dormienti semen fœcundum aliunde præcisum infundere.* 219
Diabolo multa tribuuntur, quæ depravatæ naturæ germina sunt. 228
Diabolus in extremo nasi. 227
Diagnostica molarum signa. 148
- - - *Ferme cum signis veræ impregnationis coincidunt.* Ibid.
- - - *Horum tamen notatur differentia.* Ibid.
Dicuntur multa de subjecto quæ non insunt. 191
Difficultas in judicando unde. 225
Discipuli satanæ iro pauperrores. 242
Doctum esse non sufficit nisi in ea materia de qua quæstio est. 189
Ductus subtilissimi quare concipiendi. 63
Duratio molarum in utero. 135
- - - *Sæpe ad vitæ exitum protenditur.* 137
- - - *Causa hujus moræ diuturnæ unde petenda.* Ibid.

E.

Effectus naturalis naturali modo producendus. 169
- - - *Admirandi ex atra bile.* 272
Elementum primum quid in homine. 49
- - - *Quid secundum.* 55
- - - *Quid tertium.* 57
Efficiens molarum causa quænam. 105
Elephas ex homine natus. 272

Equæ in luſitania an favonio impregnentur. 179
Errorum confutatione ad veritatem acceditur. 10
Errare nunquam excedit captum humanum. 182
Experimentum opera microſcopii. 99
Eunuchi quomodo ad libidinem incitentur. 54

F.

FAbula de congreſſu viperarum explodituꝛ. 122
Faciei diverſitas unde. 35
Felicitas omnis à ſui dependet cognitione. 34
Fœcunditas ſeminis unde. 246
Fœmina quidem in ſeipſa, ſed non à ſe ipſa concipit. 168
Fœtus ex imaginatione. 177
Fœtus plane monſtroſus. 274
Forma eſſentialis quænam in ſemine. 53
Formæ molarum variæ. 138

G.

GAlli cur ad venerem alacriores. 116
Gallinæ quomodo Gallis commiſcentur à mulier culis Italicis. 172
Generatio & nutritio eadem fiat materia. 36
Generatio omnis & conceptio ſexus utriuſque fœcundum Præſupponit ſemen. 102
Generatio molæ an a carnis generatione differat. 159
Germani cur ad venerem minus alacres. 116
Germinoſum molarum principium quodnam. 190
Geſtationis tempus quouſque protrahatur. 134
Guidus Fluvius. 181

H.

Harderus injurius in Hippocratem. 260
Hiſpani cur advenerem alaeriores. 116
Homicida in Belgio abſolvitur, quod in vincula tradi derit. 23
Homo perfecte formatus in abortu 40. dierum ſub apis magnitudine. 111
Hominum immediata e Lapidibus productio. 120
Homines dicti arborei. 122
Homines ſubterranei. 121
Homo feliciſſimo ſydere natus. 180
Horroris & pavoris mater ignorantia. 271
Hominis mira generatio ex mente Ariſtophanis. 25

I.

Idearum motus quomodo in teſtes deferatur. 48
Imaginatio circa fœtum conceptum miranda præſtat. 178
Imaginationis viribus an mulier poſſit concipere molam. 176
Immiſſiones Angelorum an homo diſcernere poſſit. 225
Infantes cur ad motum, progreſſivum minus apti. 57
Infantes per os excluſio. 126
Infans capite feriens. 178
Itali cur ad venerem alaeriores. 116
Juvenculæ neo nymphæ cur primis noctibus raro concipiant. 247
Juvencula a proco derelicta in graviſſimos dolores Paulatim incidit. 235

INDEX RERUM.

L.

Lactenum molarum principium quodnam. 101
Laici Franciſcani miranda Satio. 131
Latrantis virginis Hiſtoria. 230
Latrinæ mira virtus. 158
Leidenſis puer ſilices per alvum excernens. 276
Leo prodigioſus ex pellice. 272
- - - Item, ex nobili matrona. *Ibid.*
Locus conceptionis & generationis ſolus uterus. 125
Ludovicus Roſcel è femore oriundus. 131

M.

Molarum varia deſcriptio. 1
- - - Diſtinctio in molas generationis & nutritionis. 10
Materia eadem eſt quæ Embryonum 100
Menſtruus ſanguis ne in ipſa quidem impregnatione uteri thalamum ingreditur. 153
Mola ſemper eſt carnoſa. 22
Mola 17. die à partu ejecta. 137
Mola frequentius cum vero fœtu ejicitur. 117
Mola per 15. annos geſtata. 135
Mola oculis undiquaque referta. 139
- - - Cum capite Roſtrato. *Ibid.*
- - - Ad magnitudinem gallinæ. *Ibid.*
- - - Vivens roſtro adunco. 140
Molæ inſtar murium in conclave diſcurrentes. 142
Mola an ſit ſuperfœtatio. 161
Majus qui poteſt an poſſit minus. 165
Morboſum non ſemper eodem modo morboſim. *Ibid.*
Medici in Sagarum examine adhibendi. 222
Mutationes ſubitaneæ ex diverſitate medii. 252
Muſſioantani fœtus Hiſtoria. 224

INDEX RERUM.

N.

Natura seipsam non excedit nec a dæmone exceditur. 257
Comparatur artifici. 46
Nova, quam magna, cur homines magis admirentur. 271
Nutritionis mola 18. Libras pendens. 14

O.

Obstetricum arrogantia notatur. 8
Ovum cur non nisi unum impregnetur. 173
- - Conquassatum cur ad generationem ineptum. 116
- - Subventaneum cum mola comparatur. 158
- - E femore mulieris exsectum. 277
Occupatio circa nomina nobis invitis sæpe necessaria. 4

P.

Parabola de Saturno vinculo laneo alligato. 44
Parlamenti Gratianopolitani de fœtu ex imaginatione concepto sententia. 177
Placenta uterina unde suam trahat Originem. 71
Præjudicia veritatem impediunt. 27
Pisiculi in digito nati Historia. 130
Principia quænam optima. 28
Principium molarum triplex. 100
Procatarctica molarum causa quænam. 109
Plantarum semen quid actuet. 156
Proles è peccato Sodomitico nunquam conspecta. 124
Puellæ ex pollutione patris impregnatio. 183
Puellæ latrantis curatio. 235
Puella ex dolore vehementi ad 4. vel 5. pedes sese elevans Ibid.

INDEX RERUM.

Q.

Quantum est determinatum ad maximum & minimum. 40

R.

Recentiorum de ovario sive testibus muliebribus sententia. 75
Regressus à privatione ad habitum quomodo non detur. 91

S.

Sanguineum molarum principium. 101
Satyrica haud temere Præscribenda. 115
Scrutari, quam admirari, præstat. 9
Seminis essentia realis. 41
- - *Masculini & fœminini differentia.* 66
Utriusque sexus quid ad generationem conferat. 73
An quocunque in loco vim suam exerat. 129
Semenis per alvum excreti Historia. 239
Signa molarum admodum obscura. 143
Probatur duobus exemplis. 147
Spiritus quomodo generentur. 186
Sterilibus quænam conducant. 115
Super imprægmationes monstrosæ in regionibus meridionalibus frequentes. 173
Sutor vomitu continuo consumptus. 238
Sues in Chiam num favonio imprægnentur. 179

T.

Tertianæ curatio non est miraculosa. 257
Testes quid conferant in seminis generationem. 52
Transcolatio seminis fieri nequit sine motu vitali. 209
Tumoris in testiculo puella undecim annorum mirabilis Hi-

Historia. 15
Turcica mulier viduata ex altera maritata concipit. 184

V.

Valentini medicastri stolida arrogantia. 231
Vasorum umbilicalium origo. 71
Veneris mira generatio. 183
Venæ-sectio decies quater in puella gracili administrata. 112
Verum amplius uno esse non potest. 2
Vidua an possit generare molam virtute maris defuncti in utero relicta. 172
Virgo an possit absque maris copula possit generare molam. 153
Vidua vel virgo an possit ex diabolo concipere molam. 187

Indices Finis.

15
184

231
71
183
ra ta.
112
2
ati in
172
olam.
153
. 187